



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Theologiae Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Tractatus IV. De Pœnitentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)



TRACTATUS IV. DE PŒNITENTIA.

MORE Scholasticorum dividendus est hic Tractatus in duas partes, quarum prior fit de Virtute Pœnitentiæ, seu, de Pœnitentia vt est Virtus moralis: secunda, de Sacramento Pœnitentiæ.

PARS I. DE PŒNITENTIA VT EST VIRTUS MORALIS.

CAPVT I. DE GENERE ET DIFFERENTIA PŒNITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

An Pœnitentia sit Virtus.

887. **I**N hoc puncto duplex error amovendus est, primus de nomine, alter de re. Error de re est Hæreticorum Lutheranorum, qui docent, Pœnitentiam prout à Catholicis accipitur pro detestatione & dolore, esse otiosam ac inutilem, vel etiam præsumptuosam, quasi possemus Deo satisfacere pro nostris peccatis. Error verò de nomine est, qui tribuitur Cajetano, volenti, Pœnitentiam etsi laudabilem & meritoriam, non mereri tamen nomen Virtutis simpliciter, sed tantum secundum quid. Error hæreticorum refutatur ex infinitis Scripturæ testimonijs, quibus Deus per suos ministros Pœnitentiam præcipit. Ad quæ testimonia respondent, ibi per Pœnitentiam intelligi propositum emendandi vitam in

futurum. Sed absurdè: nam in pluribus locis exprimitur Pœnitentia per vocem doloris, gemitus, compunctionis: Deinde non quodlibet propositum non amplius peccandi est pœnitentia: potest enim quis dum actu furatur, habere voluntatem tantum hac vice furandi, nemo tamen dixerit, eum tunc pœnitere furti. Requiritur ergo propositum includens mutationem seu revocationem prioris peccaminosæ voluntatis, adeoque incompossibile cum voluntate peccandi. Quoad alterum

888. Dicendum est, Pœnitentiam esse simpliciter virtutem in sensu quo Theologi virtutem accipiunt. Probat ex definitione Virtutis, tradita à Philosopho 2. Eth. c. 2. & 6. *Virtus est habitus secundum rectam rationem electivus.* & c. 5. *Virtus*

Nnn

Virtus est habitus bonus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Atqui talis est Pœnitentia: eligit enim illa media quæ præscribuntur ad delenda peccata; qui autem eligit quod præscribitur, utique bene eligit; item qui facit quod præcipitur, utique opus bonum facit, & ex tali actu melior est, quam esset sine illo. Pari modo convenit Pœnitentiæ definitio S. Augustini *lib. 1. retract. c. 1.* *Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo malè vivitur.*

Confirmatur. Nam ut in progressu patebit, objectum formale Pœnitentiæ habet in se specialem difficultatem superandam, cui victoriæ convenit ratio honestatis objectivæ, ut alibi dictum est.

889. Objicitur 1. Virtus est dispositio perfecti ad optimum 7. *phys. t. 17.* sed Pœnitentia non est dispositio perfecti, supponit enim essentialiter peccatum, adeoque imperfectum, nam Perfectum secundum Aristotelem est, quod est dispositum secundum naturam, seu naturalem inclinationem & exigentiam: peccatum autem est potius contra naturalem exigentiam. R. cum P. Esparza, illam definitionem ex Socrate desumptam, esse nimis rigorosam, nec amplius in usu, alioquin neque omnes actus justitiæ essent actus virtutis, cum multi præsupponant peccatum, ut Voluntas restituendi, rem injustè ablata. Sufficit ergo quod Pœnitentiæ conveniat definitio à nobis usurpata, & communiter recepta.

Objicitur 2. Verecundia secundum Aristotelem 4. *eth. c. 9.* non est virtus, & ideo quidem, quia supponit turpe factum; sed hæc ratio procedit etiam de Pœnitentiâ: ergo neque hæc est virtus. Responderi potest 1. Non satis constare, quid Aristoteles illo loco per Verecundiam intellexerit, quandoquidem ibi subjungit, eam esse laudabilem in juvenibus, eò quod à vitijs retrahat. Multi cum S. Thoma existimant, Verecundiam ibi accipi pro Passione animi aut motu indeliberato (prout communiter sumitur) proveniente ex apprehensione periculi infamiæ ob turpe factum, unde Sanguis propellitur in faciem: & hoc sensu clarum est Verecundiam non esse virtutem; & in eodem sensu fatendum est, nec Pœnitentiam esse virtutem, si accipiatur pro motu displicentiæ indeliberato. Quia verò Pœnitentia communiter accipitur pro motu deliberato, non item verecundia, ideo simpliciter & absolute Pœnitentia potius quam verecundia dicitur virtus.

Quia verò valde veri simile est, Aristotelem ibi Verecundiam non tantum ut Passio est, sed etiam ut motus deliberatus est, à ratione Virtutis exclusisse, ideo aliter responderi P. Esparza, Aristotelem ibi virtutem in sensu stricto & Socratico accepisse, quo sensu nec pœnitentiam virtutem esse jam diximus. Hæc tamen responsio ex duplici capite mihi non placet. Primo, quia non est ad mentem D. Thomæ, qui conabatur ostendere Pœnitentiam esse virtutem in eo sensu, quo Verecundia non est. 2. quia hac ratione Aristoteles

malè dixisset, Verecundiam tantum in juvenibus esse laudabilem; esset enim proculdubio etiam laudabilis in Senibus, sicut est Pœnitentia, quæ esset virtus eo modo quo est Pœnitentia.

Respondet itaque 3. S. Thomas, dicitur inter Verecundiam & Pœnitentiam esse, quod Pœnitentia supponat quidem turpe factum, sed præteritum, nam de præsentibus non est cum illis composibilis. Verecundia autem supponit tantummodo de præsentibus, vel certè (ut interpretatur Lugo) est composibilis cum turpitudine de præsentibus, hoc est cum actu turpi.

Contra hanc responsionem replicat Causa de Lugo. Non videtur esse contra rationem virtutis, supponere turpem actum de præsentibus, ut præduplici instantiâ; si enim in instanti quo peccat Deus mihi revelaret gravitatem talis peccati, ego crederem, talis actus fidei esset actus virtutis, & tamen supponeret essentialiter peccatum ante de præsentibus: item si dum actu pecco, me coram Deo humiliò, & peto gratiam resurgendi, actionem pœnæ, talis actus est laudabilis, & cum composibilis cum peccato: non ergo quod turpe composibilitas cum peccato obstat rationi virtutis, sed composibilitas talis, quæ proveniat à inefficacia actus, resistentis quidem peccato, sed tantum inefficaciter, cum deberet resistere efficaciter, & ideo talis actus non est laudabilis, quia cum rectitudine debitâ, scilicet, resistentia efficaci, non autem non sunt actus allati in instantibus; potest etiam talis est pœnitentia, ut pote quæ resistit tantum quoad principales actus, quod quædam in alijs imperfectioribus) quantum in se est, efficaciter, & ideo est incomposibilis cum peccato actuali. Talis verò est Verecundia, quæ quidem propter periculum infamiæ aliquid tenens ad peccatum, sed tantum inefficaciter.

Quod si tibi hæc responsio necdum sufficit, addere potes aliam, nempe Aristotelem per Verecundiam intellexisse actum quo quis aliquo modo virtualiter aut interpretative ratificat peccatum præsens vel præteritum, & sola illi displicet infamia inde fortassis consecuturâ: v. g. si actus dicitur Peccatum non curo, modò non esset infamia, modò lateret. vel: malo quidem peccare quam esse extra periculum infamiæ, si tamen abstinere à peccato, solum propter periculum abstinentiæ, vel: motivum infamiæ præfero omnibus alijs motivis nunc occurrentibus & absterrentibus à peccato.

Objicitur 3. Conatus stultus non est laudabilis. 4. *eth.* sed talis conatus est actus Pœnitentiæ conatur enim quod factum est reddere indebitum quod utique est impossibile. R. 1. Actum Pœnitentiæ non dicere: *Volo facere, ut non peccaverim* sed: si essent nunc illæ circumstantiæ quæ fuerunt quando peccavi, non eligerem quod elegi, sed oppositum: adeoque revocat illam voluntatem, & mutat mentem in meliùs, eliciendo rationem actum, qui si fuisset elicius tempore peccati, revocasset peccatum. R. 2. Officium & habitus Pœnitentiæ

Pœnitentiæ non esse, reddere formaliter factum infectum, hoc enim esset ponere simul formam & negationem formæ, quod est impossibile, sed vult facere infectum æquivalenter; hoc est, vt peccatum non perseveret habitualiter, & non sequantur effectus illius mali alioquin secuturi: item vt tollatur pravus habitus & inclinatio relicta ex actu &c. vt ex dicendis constabit.

CONTROVERSIA II.

An detur Pœnitentia, quæ sit Virtus specialis, contradistincta à cæteris Virtutibus, tum seorsim, tum collectivè sumptis.

890. Certum est, singulas virtutes posse detestari peccatum sibi oppositum ex motivo suo speciali. v. g. Charitas detestatur odium Dei ex motivo amoris & bonitatis Dei, Castitas detestatur fornicationem ex motivo specialis honestatis quæ inest abstinentiæ à copula cum non sua, &c. de cæteris. Et hoc sensu potest utique dici, quod collectio omnium virtutum sit quidam universalis Pœnitentiæ habitus seu potestas pœnitendi de quocunque peccato. Quæstio est an præterea admittendum sit, Pœnitentiam esse vnum habitum specialem inclusum in illa collectione, quo posito & probato, ulterius quaritur, an talis habitus sit identificatus cum vno ex habitibus apud omnes DD. agnitis & receptis, vt est Charitas, Religio, Obedientia, Gratitude, Iustitia &c. vel an sit specialis habitus contradistinctus ab istis, & quodnam sit ejus objectum motivum formale & speciale, ratione cujus mereatur specialius, quam quivis alius habitus, nominari Pœnitentia.

Certum enim est 2. non quemvis habitum esse aptum denominari Pœnitentiam: Habitus enim Pœnitentiæ, quem in præsentia querimus, debet ex suo motivo speciali posse pœnitere de quocunque peccato: atqui multi sunt habitus, quorum motivum se non extendit ad pœnitendum de quocunque peccato, quia non quodvis peccatum illi opponitur: sic peccatum injustitiæ non opponitur Castitati, aut Patientiæ: ergo Castitas, aut Patientia, aut Fortitudo &c. non potest detestari omne peccatum ex suo speciali motivo. Econtra sunt aliæ Virtutes, quarum motivum proprium & speciale se extendit ad quodvis peccatum, quia quodvis peccatum illi opponitur; talis est Charitas, Spes, Obedientia erga Deum, Religio, Gratitude erga Deum &c.

891. DICO. Admittenda est Virtus Pœnitentiæ consistens in vno speciali habitu, qui ex motivo vniuersali possit versari circa omnia peccata. Probatum à posteriori, & ex absurdo. Nisi enim Pœnitentia sufficienter reperiri posset in aliquo speciali habitu, sequeretur, quod qui haberet plurima peccata diversarum specierum, tamdiu non posset dici pœnituisse de suis peccatis, quam-

diu non in specie meminisset suorum peccatorum, & singulas species ex specialibus motivis omnium earum virtutum quibus ea opponebantur, detestaretur. consequens est aperte absurdum, cum certum sit, ad agendam sufficientem pœnitentiam de peccatis, posse sufficere detestationem ex motivo vnius specialis virtutis, extendente se ad omnia peccata. Hoc ergo sensu non vnicus tantum habitus, sed tot habitus poterunt dici Pœnitentiæ habitus, quot sunt apti ex proprio suo motivo, saltèm vnà cum Sacramento Pœnitentiæ, justificare hominem à quocunque peccato.

Vtrum autem ex his habitibus vnus præ alio mereatur vocari Pœnitentia, plus habet de modo loquendi quam de re.

CONTROVERSIA III.

Vtrum detur Habitus purè reflexivus super peccato commisso, ejusque emendativus, & sub hoc conceptu mereatur specialius vocari Pœnitentia.

892. IN duplici sensu potest hæc quæstio moveri, in sensu nimirum reali, & in sensu formali. In sensu reali quæstio esse potest, an, sicut realiter ab invicem distinguuntur Habitus infusi, Charitas, Spes, Fides, & aliæ virtutes morales (de quarum tamen reali & adæquata ab invicem distinctione difficillimum est regulam statuere, nec ego in aliquo Theologo hæctenus eam invenire potui quæ satis rem declararet) ita etiam detur aliquis habitus infusus à cæteris omnibus realiter distinctus, cujus omnes actus sint reflexivi supra commissum peccatum, cujus motivum proprium sit honestas residens in speciali difficultate delendi peccatum tum quoad se, tum quoad effectus post se relictos, & afferentes malum ipsi peccatori, cuiusmodi sunt pœna, pravæ inclinationes &c.

In sensu formali quæstio esse potest, an saltem nostro concipiendi modo possit huiusmodi formalitas assignari purè reflexiva, quæ proinde sub tali formali conceptu specialissimè mereatur dici Virtus Pœnitentiæ. In utroque sensu videntur eam admittere Recentiores, quia verò difertis verbis id non dicunt, ideo eos nominatim non adduco; satis mihi erit, quod stent pro secundo sensu.

§. I.

Resolvitur Quæstio in primo sensu.

893. DICO, non dari huiusmodi habitus infusus realiter distinctos ab omnibus alijs, purè & per omnes suos actus reflexivos. De duobus Habitibus videtur maximè esse ratio dubitandi, de Virtute Perseverantiæ, & Virtute Pœnitentiæ, Perseverantia enim videtur se reflectere per suos actus supra actus præcedentes quibus honestatem amavimus, nec ab ea recessimus, adeoque etiam

N n n 2

supra

supra negationem peccati: Pœnitentia verò, supra peccatum commissum.

Probo ergo Conclusionem imprimis quoad Perseverantiam. Perseverantia non distinguitur à Virtute Studioſitatis in genere, quâ quis vult honestè vivere vniuersim. Nam antequam vllum actum Virtutis eliciam, possum & debeo habere actum quo dicam: *volo perseverare in bono*: sed hic actus non est reflexivus supra alium præcedentem, & tamen est actus Virtutis Perseverantia: ergo &c. Ratio à priori est, quia omnis Virtus ita amat & vult suam specialem honestatem, vt eam non velit præcisè pro aliquo tempore determinato, sed constanter, quantum est ex modo tendendi: quando enim quis postea contra talem virtutem peccat, dicitur priorem voluntatem retractare: non esset autem retractatio, nisi prior voluntas voluisset suam honestatem illimitatè. Ex hoc principio facillè declaratur, quomodo in omni actu virtutis reperiatur arduitas & contemptus boni temporalis: nam licet non sit difficile & arduum religioso ire ad Cœnam quando pulsatur, vt tamen eat ex obedientia, debet habere motivum extendens se etiam ad actus arduos, alioquin non erit virtus obedientia. Et quia hoc aliqui RR. non observârunt, ideo impugnârunt malè sententiam illam, quam in tract. *de Merito* dedi cum P. Esparza, quòd arduitas sit de conceptu Meriti. Itaque quando studioſitas vult honestatem vt sic, vult eam constanter & perseveranter: ergo non datur alia Virtus Perseverantia, quæ post primum actum honestum velit perseverantiam in honestate. Probatur hæc vltima consequentia: alioquin enim deberent respectu cuiusvis honestatis specialis dari duæ virtutes realiter distinctæ, vna directa, altera reflexiva, nam post primum actum augetur difficultas perseverandi in eadem Virtute, quatenus *per perseverare* fatigat animum, esto in alio sensu faciliter, quatenus generat habitum seu dispositionem ad faciliùs iterum amplectendum idem motivum: ergo si Honestas in genere peteret duos habitus, quorum vnus, nempe studioſitas, vellent eam vt sic, abstrahendo à perseverantia, altera verò vellent perseveranter, deberet hoc etiam dici respectu honestatum specialium: hoc autem est falsum. nam v. g. Iustitia est constans & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi, nec est alia respectu primi actus, & alia respectu perseverantia.

Confirmatur. Virtus Perseverantia est virtus tendens ad observationem præcepti negativi, quia obligat ad nunquam lædendam honestatem: ergo eius honestas objectiva statim in primo actu amatur. Probo consequentiam. Nam in primo actu quo volumus honestatem vt sic, vt actus sit honestus, debet honestatem eo modo velle, quo modo obligamur eam velle. atqui obligamur ad eam perseveranter volendam, & nunquam lædendam: ergo, &c.

Ex his patet, quòd Virtus Perseverantia non solum non realiter, sed ne quidem (habetis loquendo) formaliter distinguitur à Virtute Studioſitatis, nisi fiat questio de nomine. Sed iam ad Pœnitentiam veniamus, de qua

894. DICO, Habitum Pœnitentia non esse purè reflexivum, nec realiter esse distinguendum ab Habitu Pacis, nec ad multiplicationem habitus sufficere diversitatem quamcumque morali formalis. Probatur. Si Pœnitentia esset Virtus purè reflexiva, sequeretur, dari virtutes purè directas, realiter ab alijs distinctas, talis esset Innocentia, & Virginitas, eo nimirum sensu, quoniam nunquam possunt elicere actum reflexivum supponat actum vitij contrarij: consequenter dederit absurdum, quòd probo. Nam hæc virtutes isti Habitus per vnicum actum oppositum redderentur otiosi quoad suos actus principales, hoc est, prosecutivos honestatis propriae, ita vt, cum in justificatione infunderentur iterum cum Gratia non possent tamen amplius vllum actum proprium & principalem elicere; nam nec Innocentia nec Virginitas semel amissa recuperari possunt, sicut potest temperantia &c.

Jam verò è contrariò idem probari potest Pœnitentia: si enim Pœnitentia esset Virtus purè reflexiva, esset homo obligatus reddere contra habitum penitus otiosum, quia obligatus est nunquam peccare: nullo autem peccato postea ista habitus necessaridè otietur, vel certe non nisi ex errore & ignorantia posset elicere actum, nec si quis falso putaret se peccasse. Videtur nihil autem inconueniens esse, quòd datur Pœnitentia aliqua realiter distincta ab omnibus alijs, cum obligatione nunquam vtendi tali potentia, nisi ex hypothesi peccati.

His omnibus incommodis occurrunt, dicamus, Habitum infusus eatenus solum esse realem ab invicè distinguendos, quatenus pro nullius seu licito seu illicito possint reddi otiosi, nisi ut possint amplius etiam volenti esse vitij. Hoc autem ita erit, si Pœnitentiam identificantem cum Virtute Pacis servandæ cum Deo, vt facit Lag., alijque RR. si Virginitatem cum Castitate, Innocentiam cum Studioſitate.

Confirmatur 1. Quia alioquin Habitum Pœnitentia in Adamo ita fuisset superfluous, vt deberet priùs destrui, quam posset ad vllum actum proprium concurrere. Sequela probatur, quæ tradunt communiter Theologi, Adamum non poterat priùs committere veniale, antequam committeret mortale. atqui per mortale destrueretur talis habitus.

Confirmatur 2. Quia in Angelis factus factio simpliciter superfluous, quia non erat remittendi ad pœnitentiam. Hinc autem sic commentari licet. Si Habitum Pœnitentia committentis distinctus à reliquis, infunditur homini primo quando accipit Gratiâ, & quidem tanquam propositas debita Gratiæ, sequitur, Deum esse necessarium

tum metaphysicè ad constituendum in statu elevationis aliquod remedium Justificationis à peccato, & hoc etiam Angelis constituere debuisset, quod tamen non fecit. Sequela probatur. Nam sapientissimo agenti est impossibile ponere aliquid habens essentialiter rationem mediæ (vt sunt omnes habitus) & non intendere finem, ejusque possibilitatem procurare: ergo semel infuso habitu Pœnitentiæ, jam Deus sibi necessitatem imposuisset ad justificandum hominem positus certis remedijs. Sed de hoc puncto satis. ad alterum veniamus.

§. II.

Resolvitur questio in sensu formali.

895. DICO 2. In conceptu & sensu formali ac præcisivo, potest admitti & rectè admittitur Habitus pœnitentiæ reflexivus & emendativus, supra descriptus, specialis hoc nomine dignus. Ita ad minimum sentiunt P. Antonius Perez, Sforzia Pallav. & Esparza. Pro intelligentia

Supponendum est ex Philosophia, Habitus & Virtutes multiplicari, saltè formaliter, pro diversitate difficultatum superandarum in objectis honestis: v. g. qui habet Habitu & facilitatem vivendi temperanter in cibo & potu, potest habere difficultatem in observanda Justitia, & ideo Justitia est Habitus diversus à Temperantia. Ob eandem rationem distinguuntur hujusmodi habitus à Charitatis Habitu, & essent formaliter saltè distinguendi, etiam si cum Habitu Charitatis realiter identificarentur (vt aliqui suspicari sunt, eò quòd nunquam à Charitate separentur, sicut Fides & Spes) quòd tamen non assero. Ratio est; nam licet Charitas ex suo motivo & objecto formali superet difficultates omnium cæterorum habituum, versantium circa materiam obligatoriam & præceptam, non tamen contra qui superavit difficultatem quæ est in observazione Justitiæ ex speciali honestate Justitiæ, hoc ipso superavit difficultatem quæ est in præferendo Deo omnibus alijs, & ideo Justitia est Habitus distinctus à Charitate, cui tamen subordinatur. Hoc supposito, & ad nostrum propositum applicando

Certum est, quòd post lapsum confurgat difficultas in Emendatione delicti, quæ non fuit, dum homo erat innocens; nam difficile est mutare voluntatem, ita vt modò velimus illud nobis displicere, quòd ultimò priùs placuerat. item difficile est, elicere illos actus fugæ, qui causant dolorem: difficile etiam est adhibere spontaneas pœnalitates ad tollendam pœnam cujus reatum habet, cum ante peccatum fuerit immunis. Porò has difficultates superare est honestum & laudabile.

DICO igitur, hanc specialem honestatem respici à formalitate alicujus Virtutis, quam vt sic vocamus speciali etymologià Pœnitentiã, quæ per suos actus procurat & imperat alios actus, v. g. actum Charitatis, Doloris, Propositi non peccan-

di de cætero) &c. propter specialem vtilitatem quam isti actus habent sive ab intrinseco sive ab extrinseco ad delendum peccatum, vel secundum culpam, vel secundum effectus peccati.

896. Restat solùm declarandum, quòd hæc Virtus sub hoc conceptu, rectè & specialius vocetur Pœnitentiã, quæ quidem est quæstio de modo loquendi. Desumptus autem est hic modus loquendi ex SS. Patribus. & imprimis ex S. Thoma, qui 3. p. q. 85. a. 1. quærens, an Pœnitentiã sit Virtus, responder affirmativè, & hoc probat ex definitione Virtutis, quòd sit habitus electivus secundum rectam rationem, deinde applicat hoc Pœnitentiæ his verbis. [Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo & sine quo dolendum est, quòd quidem observatur in Pœnitentiã, nam Pœnitentiã NB. assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea.] Deinde verò a. 2. vbi quærit, an Pœnitentiã sit specialis virtus, responder affirmativè, [Manifestum est, quòd in Pœnitentiã invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensã, quòd non pertinet (intellige formaliter) ad rationem alterius virtutis.] Deinde in eodem art. ad 1. docet, eam distingui à Charitate, quia licet displicentia peccati præteriti præcisè spectata pertineat ad Charitatem, at tamen intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem Virtutem sub Charitate, & ad 2. clarissimè exprimit objectum formale à nobis assignatum, dicens, quòd Pœnitentiã habeat quidem realiter generale materiam, in quantum respicit omnia peccata, sed tamen sub ratione speciali, in quantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem. Hæc S. Thomas.

897. Quòd attinet ad SS. PP. aliqui claris verbis tradiderunt, Virtutem Pœnitentiæ ex officio suo tendere ad destructionem peccati, & procurare media deletiva peccati. Et imprimis ita accipienda est definitio communiter circumferri solita ex D. Gregorio hom. 34. in Evang. dicente, quòd Pœnitentiã aliud non sit, quàm perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare: quæ definitio non potest intelligi de actu secundo, & de actu formali planctus, & de negatione iterationis, alioquin nemo dici posset pœnitentiã egisse, antequam verum esset dicere, quòd nunquam sit relapsus, & quicumque relapsus esset, hoc ipso haberet evidentiam, quòd prius salutarem pœnitentiã non egisset. Intelligenda ergo est definitio de actu imperante dolorem & propositum in hunc finem, vt removeatur offensã Dei & reatus pœnæ, prout interpretatur D. Thomas l. c. a. 1. ad 3.

Idem Gregorius M. lib. 9. Registri Epist. 39. [Magna est, inquit, contra peccatum Virtus Pœnitentiã.] Auctor libri de vera & falsa pœnit. c. 2. (qui tribuitur S. Augustino, sed non est illius, vt

notat Bellarmus.) dicitur Pœnitentia esse remedium à Deo concessum, quo pœnitentia infirmitas & redit sanitas animæ. S. Chrysostomus hom. 23. in Matth. Non est aliquid omnino peccatum, quod non cedat Pœnitentiæ Virtuti. Gregorius Nissenus in orat. contra eos qui alios acerbis iudicant. Quid, inquit, aliud est Pœnitentia, nisi dissolutio & everfio præteritorum, quæ vel re vel cogitatione sunt admissa. Certum autem est, quod ipsa actualis everfio peccati non sit Pœnitentia, alioquin infusio Gratiæ esset Pœnitentia: intelligendi sunt ergo Patres de actu & habitu procurante everfionem per media à Deo præscripta; sicut Virtus Misericordiæ dicitur esse sublatio alienæ miseriæ, intelligendo de actu imperante externam elargitionem Eleemosynæ.

898. Objicies 1. Ille habitus non potest esse Pœnitentia, qui si deberet aliquid ordinare circa existentiam peccati, ordinaret, ut illud existeret potius quàm non existeret: sed hoc faceret habitus reflexivus & emendativus: ergo non rectè assignatur pro habitu Pœnitentiæ. Major probatur, quia de conceptu habitus Pœnitentiæ videtur esse, ut potius detestetur, quàm petat existentiam peccati. Minor verò patet: Nam habitus utriusque petit existentiam eorum omnium, sine quibus ipse non potest operari. R. Hoc argumentum non nos, sed eos petere, qui huiusmodi habitum reflexivum volunt esse realiter distinctum ab alijs habitibus directè impeditivis peccatorum. R. Ergo transmissâ majore nego, minorem. Nam realiter habitus pœnitentiæ per actus directos quibus amat bonum pacis cum Deo, potius ordinaret, ut peccatum non existeret.

Objicies 2. Si Pœnitentia est virtus reflexiva supra peccatum commissum, & procurativa pœnalitatum correspondentium delicto, sequitur eam non distingui à Justitia Vindicativa, ad eoque non esse Virtutem specialem, contradistinctam à cæteris virtutibus nominatis: consequens est contra nostram conclusionem. R. Negando sequelam. Nam licet Justitia Vindicativa sit Virtus reflexiva, formaliter & sub hoc nomine considerata, duplici tamen, vel etiam triplici ex capite distinguitur à Pœnitentia. 1. quia non est reflexa supra delicta propria, sed super aliena: nam Justitia Vindicativa residet in superiore habente Jurisdictionem & Imperium. 2. Justitia vindicativa intendit honestatem, quæ consistit in commensuratione pœnæ condignæ cum delicto: Pœnitentia verò potius contrarium intendit, nempe intendit amovere illa mala, quæ vel jam inflicta sunt propter peccatum, vel essent infligenda, si non ageretur Pœnitentia: v. g. si peccatum fuit mortale, Deus abstulit gratiam, & imminet pœna æterna: Pœnitentia vult gratiam recuperare, & impedire pœnam æternam, præstando pœnam temporalem satisfactionis, quæ semper solet à Deo minor exigi & acceptari, quàm esset illa, quæ per satisfactionem sustinenda esset. Si verò fuit peccatum veniale, vult Pœnitentia

recuperare illos favores, quos Deus aliquando propter peccatum negaret; & quoad pœnam procedit sicut de mortali dictum est. 3. denique distinguatur Vindicativa à Pœnitentia, quod Vindicativa intendat bonum reliquorum subditorum delinquentem distinctorum, quos vult per vindictam in delinquentem sumpcam abstergere à subditibus, non autem intendit bonum delinquentis nisi per accidens, quando infligitur pœna medicinalis, quod tamen non est de ratione pœnæ, ut patet in damnatis, tum in illis qui vitio supplicio efficiuntur. secus se res habet in Pœnitentia, quæ castigat delinquentem primariò in bonum illius, ut scilicet ab ipso amoliat gravius alium malum.

Objicies 3. Ex nostra explicatione sequitur, actum Pœnitentiæ esse actum prosecutionis & non fugæ, cum tamen Theologi cum constituant in actu fugæ. R. Actum Pœnitentiæ dicitur esse simul prosecutionem & fugam, sed a spectu diversorum. sicut enim qui amat vitam, detestatur hoc ipso aegritudinem, ita actus Pœnitentiæ prosequitur deletionem peccati, & detestatur ac fugit peccatum simul & individuum, quidem detestatur illud ut inductivum illius malorum, quæ Pœnitentia vult emendare. Propterea etiam Pœnitentia imperat actum fugæ, & contritionem tanquam vitalem ad justificationem, & hic actus etiam vocatur Pœnitentiæ, ut iterum dicitur infra.

899. Objicies 4. Nullus datur Habitus merè emendativus erroris commissi, sed omnis virtus que est emendativa delicti, est etiam præcautiva seu impeditiva ejusdem. Ergo non rectè assignatur à nobis Virtus Pœnitentiæ. Antecedens declaratur exemplis. Justitia v. g. est quidem emendativa injuriæ commissæ per furtum, detractionem, &c. procurando restitutionem pecunie & famæ, quæ restitutio est actus Justitiæ; sed etiam ad eandem virtutem pertinet actus quo dicitur: non cuiquam suum auferre, aut famam laedere, &c. Item Temperantia intendit quidem emendare excessum factum in cibo & potu, sed eadem temperantia intendit etiam omnem excessum carnis, & sic de alijs. Ratio à priori est, quia voluntas movetur ab eodem motivo ad cavendam malum ne eveniat, à quo movetur ad emendam malum postquam evenit: quia eidem bono & eodem modo opponitur malum ut primò existens, & secundo. Si objectio procedat in sensu reali, concedo totum, juxta ea quæ supra sunt. In sensu formali verò R. Distinguitur antecedens. Idem est habitus emendativus & impeditivus mali, si bonum quod per impedimentum conservatur, est illud ipsum in specie, quod per emendationem reparatur & produciuntur, quæ eandem habet difficultatem per se in æstimatione theologicâ, concedo antecedens: si sit emendativum bonum & diversæ rationis id quod per emendationem alteri substituitur, & talis substitutio habet

diversam difficultatem, quæ semper & per se nascitur ex destructione prioris boni cui aliud substituitur, nego antecedens. Et sic habetur disparitas manifesta inter exempla allata & Pœnitentiam. Iustitia enim sicut vult conservare Jus illius alterius in bonis fortuna, & famæ, ita postquam laesum est, vult iterum hoc jus reparare per pecuniæ & famæ restitutionem, & quamvis contingere possit, ut pecuniæ restitui non possit, sed debeat restitutio fieri in æquivalenti, equo, bove, frumento, &c. hoc tamen est per accidens, & illud quod substituitur, v.g. equus potest commutari in pecuniæ per venditionem: item licet per accidens fieri possit, ut restitutio sit difficilior quàm fuisset conservatio juris illius, hoc tamen iterum est per accidens, & non nascitur ex natura furti. Sicut etiam per accidens est, quòd quis non possit vitare infamiam in restitutione, sicut potuisset vitare non furando. Jam verò loquendo de Pœnitentia, illa non intendit restituere idem bonum quod per peccatum perditum est, in specie, nam licet intendat restituere Gratiæ, hoc tamen non est adequatum & speciale illius objectum, sed difficultas superanda in retractatione prioris beneficii, & in exercitio spontaneorum pœnalitatum, loco pœnarum aliarum quæ non sponte essent ferende, in eradicatione male inclinationis per peccatum commissæ. Item Pœnitentia assumit dolorem, & alias pœnas, ut vitales ad placandam indignationem Dei, ne majores pœnas infligat, cum tamen, si peccatum positum non esset, non fuisset ille homo vlli pœnæ subeundæ obnoxius, adeoque bonum amissum per peccatum, erat immunitas ab omni pœna, quod est bonum utique diversum à bono commutationis & substitutionis minoris pœnæ in locum majoris. Denique bonum quod Pœnitentia intendit, est imploratio & conciliatio Clementiæ & Misericordiæ divinæ, bonum verò per peccatum amissum, & per evitacionem peccati conservandum, erat amor amicitia & benevolentia: ergo à primo ad ultimum, bonum quod pœnitentia intendit, est diversæ rationis à bono quod per peccatum erat deperditum, & cuius conservatio spectat ad illam virtutem, cui opponebatur peccatum commissum.

Objicies 5. Si Pœnitentia est Virtus imperativa doloris, & propositi non amplius peccandi, & in ordine ad hos specificatur, & ab illis denominatur Pœnitentia, sequitur hos actus malè vocari à SS. Patribus actus Pœnitentiæ, quia actus imperati ab aliqua virtute, non dicuntur actus illius virtutis, sed soli actus elicit. Respondeo cum Pallavicino, frequentissimum esse, ut tribuantur alicui virtuti actus ab ea solum imperati: v.g. Oratio dicitur esse actus Religionis, cum tamen Oratio in Sententia S. Thomæ sit actus intellectus, actus verò elicit à Religione sunt actus voluntatis. quod si dicas, Orationem esse actum voluntatis, adhuc non est actus elicitus ab habitu Religionis, quia non habet pro objecto formali & motivo cultum Dei sicut habet Religio, sed im-

petrationem beneficii; quod idem procedit in actu voti, cuius objectum formale est obligatio, ipse verò actus voti seu promissionis, est cultus Dei imperatus à Religione propter honestatem objectivam quæ illi inest, & tamen dicitur actus Religionis. Quo sensu etiam Apostolus tribuit Charitati actum Spei & Fidei, dicens, *Charitas omnia credit, omnia sperat.*

Itaque actus elicitus ab habitu emendativo peccati, etsi non sint Pœnitentia formalis sicut est dolor formalis, sunt tamen Pœnitentia causalis.

Dices cum quodam Recentiore Hispano: ergo, si Deus ita ordinasset, ut ad delendum peccatum non esset opus alio actu quàm actu fidei, adhuc posset quis dici agere pœnitentiã, si sibi imperaret actum fidei, etiamsi nullum dolorem formalem eliceret, dummodo intenderet delere peccatum, & emendare. R. hanc tandem esse quæstionem de nomine, ut fatetur hic ipse Recentior, de quâ non est contendendum. mihi satis est, posse assignari habitum, cuius speciale objectum sit, emendatio peccati propter difficultatem in hac repertam. Verum autem debeat vocari Pœnitentia, parùm interest. Vidimus à S. Thoma ita vocari propter actus quos defacto imperat, qui sunt dolor, propositum, &c. In casu quo peccatum posset deleri sine formali dolore, fortè ille habitus emendativus non esset sortitus nomen Pœnitentiæ, sicut defacto sortitus est. Et ratio disparitatis est, quia imperium actus fidei posset conjungi cum complacentiã, & gaudio de peccato commissio, & ideo non mereretur nomen Pœnitentiæ, actus verò imperans retractacionem non potest conjungi cum tali gaudio. Sed de hoc satis.

CONTROVERSIA IV.

An sit possibile peccatum ex intrinseco predicato indelebile per Pœnitentiam.

900. Quæstioni huic ansam dedit Card. de Lugo qui disput. 8. s. 1. n. 4. obiter proponit argumentum, quo putat probari posse possibilitatem peccati penitus irremissibilis. Argumentum autem est hoc. Ponamus Deum decernere, quòd nolit Petro vllum peccatum dimittere, & hoc suum decretum Petro revelare cum obligatione credendi, Petrum autem nolle credere, sicque graviter peccare: hoc peccatum incredulitatis erit essentialiter & intrinsecè irremissibile. Probatur. Quia essentialiter pender à vera Dei revelatione: diceret enim: *nolo credere Deum per hæc signa loqui & asserere, se nolle mihi vllum peccatum dimittere.* ergo essentialiter præsupponeret locutionem veram Dei: jam si tale peccatum posset remitti, posset falsificari locutio Dei, cum qua habet essentialem connexionem coexistentiã, atqui impossibile est, revelationem Dei falsificari, quia vel Deus mentiretur, vel haberet erroneum iudicium, quod utrumque repugnat: ergo tale peccatum esset essentialiter irremissibile. Huiusmodi

modi argumenta, desumpta ex revelatione Dei & actu fidei vel peccato opposito, quibus sæpius vtitur Lugo & alij, ad varia paradoxa probanda, sunt molestissima, & nisi fallor, plus habent acuminis quam efficaciar & soliditatis.

901. DICO. Repugnat peccatum hujusmodi irremissibile. Probatur imprimis ostendendo per instantiam, argumentum Lugonis nimium probare, & involvere contradictionem, ad eoque omnibus solvendum esse; deinde afferendo argumenta & rationes quasi à priori, quibus hujusmodi implicantia suaderetur, denique solvendo ipsum argumentum.

Imprimis ergo infringo Lugonis argumentum simili profus modo argumentandi, quo tamen evidenter falsum & contradictorium inferitur, & tamen consequentia est inevitabilis, nisi negetur vnum ex principijs assumptis, habentibus eandem veritatem apparentiam quam habent principia Lugonis.

Primo, ponit Lugo possibile esse, quòd Deus univ ersaliter decernat vno indivisibili decreto: *Nolo Petro ullum peccatum dimittere*: hoc principium putat Lugo non posse negari, & rationem reddunt aliqui RR. quia Deus potest edocere creaturam rationalem viatricem de suis Secretis, & absterere à peccato, modo docendi proportionato viatori elevato, liberè & meritorie tendenti ad salutem, efficacissimo, perfectissimo & maxime meritorio, qui modus consistit in revelatione obscura suorum secretorum & decretorum per fidem divinam credenda. Ità isti RR. Bene est. Pono ego aliud simile, quod ex eodem fundamento negandum non erit. Potest Deus facere hoc decretum. *Nolo Petro remittere vllum peccatum ex illis quæ intrinsecè remissibilia sunt.* hoc inquam multò minus negari poterit, quia est decretum minus univ ersale & illimitatum, nam decretum Lugonis extendit se ad omnia tam remissibilia, quam irremissibilia, meum autem tantum ad remissibilia se extendit: ergo si hoc repugnat, multò magis illud.

Secundò, ponit Lugo, hoc decretum posse Petro revelari revelatione obligante ad credendum, & quidem revelatione essentialiter divinà, hoc est, constante tali apparentià externà, quæ non possit à Deo permitti, quin Deus per illam apparentiam loquatur. Hoc ipsum & ego pono de meo decreto. Tertio, ponit Lugo, Petrum discredere revelationi, & illum actum incredulitatis essentialiter pendere ab illa revelatione. Hoc totum & ego pono. Videamus, quid inde sequatur. Quæro ex Lugone, an peccatum incredulitatis, quo Petrus dicit: *Nolo credere Deum revelare per hæc signa quòd nolit mihi remittere vllum peccatum in se remissibile*: quæro inquam, an hoc peccatum sit in se intrinsecè irremissibile, necne? Si dicat, esse irremissibile: contra est, quia ex nullo capite habet hanc irremissibilitatem, non quidem ex decreto Dei, quia, vt ponitur in casu Deus nihil statuit, nisi de peccatis remissibilibus,

ergo si hoc peccatum est irremissibile intrinsecè, deberet hæc irremissibilitas aliunde provenire, atqui ex nullo alio capite provenire potest, vt fatentur Adversarij. Si verò dicat, esse remissibile: contra est, quia est essentialiter dependens à revelatione essentialiter vera, de non remittendo vilo peccato remissibili: ergo dum ponitur remissibile, arguitur irremissibile, ergo patet, in argumento Lugonis latere aliquam fallaciam.

902. Declaratur amplius per rationem à priori. Decreta Dei libera semper veritate circa objecta contingentia, hoc est, talia decernunt, quæ si Deus non decerneret, non essent, adeoque non sunt in se necessarii illis, qualia Deus per decretum liberum vult esse: Deus non habet decretum quo dicat: *Nolo Petro Chymeram*, & multò minus dici potest, Deum decreto reddere chymeram impossibilem. Patet quando Deus decerneret nullum remittendum, tale decretum esset liberum; posset enim Deus non decernere: ergo peccatum quod decernit non remittere, supponitur esse remissibile sicut, si Deus decerneret non facere Chymeram, supponeretur Chymera factibilis, & eodem modo factibilis non est, omnes supponunt, Deum posse facere Decretum quo dicat: *Nolo facere chymeram*, procederet enim hujusmodi decretum ex Scientia simplicis intelligentiæ de impossibilitate chymaræ, adeoque diceret: quia scio me non posse facere chymeram, ideo nolo eam facere, quod esset decretum ridiculum & importunum, sicut fuit illa nolitio, quæ vulpes nolit pira, quia habere non potuit. Ergo, si res creditè consideretur, omne peccatum quod est objectum divini decreti nolentis remittere peccatum, debet esse intrinsecè remissibile: ergo debet esse tale decretum quale nos posuimus: cum ergo inde deduxerim, peccatum infidelitatis habens tale decretum fore simul remissibile & irremissibile, sequitur, latere implicantiam ingregato seu complexo ex his tribus: ex decreto Dei de non remittendo peccato vilo, ejus revocatione, & subsequente peccato essentialiter commisso cum illo decreto.

Respondent aliqui RR. factà revelationem negante remissionem peccatorum, posse haberi successivè peccatò cum actuali notitià & revocatione ad revelationem istam, vel absque revocatione & actuali reflexione ad eam, adeoque quænone possit committere peccata intrinsecè irremissibilia & remissibilia, ideo dicitur, Deum ipsà nolle remittere tam remissibilia, quam irremissibilia, & revelare generatim nolitionem tam remissionis tam possibilis quam impossibilis, hoc modo faciendò revelationem extrinsecè terminis generalibus præcipientibus, penitus occasionem homini committendi peccatum intrinsecè essentialiter irremissibile. Porro dicitur isti) est necessitas Dei & infinita perfectio posse nolle impossibilia, & actualiter ostendere omnia volentia & chymæras per actum necessarium divinum

voluntatis, quod ad longum probant, cum nihil plane faciat ad rem, quia plus non probant, quam simplicem displicentiam de his omnibus, cum deberent probare voluntatem practicam impeditivam impossibilem ne existant; de quo decreto est sermo in presenti, ut constat, & constabit iterum ex dicendis. Itaque

Responsio hæc imprimis ferit suos auctores aperte. Docent enim isti RR. sibi videri, quod defacto peccatum Angelorum fuerit peccatum essentialiter irremissibile, quia dependebat à revelatione Dei de tali peccato nunquam dimittingendo: hæc sanè revelatio (si fuisset) fuisset de peccato determinato, & non generalis: qui decretum de determinato peccato non dimittingendo, debet esse decretum practicum absterrens à tali peccato, & consequenter de peccato remissibili, ut hi ipsi RR. in sua responsione supponunt: ergo doctrina horum RR. sibi non cohæret. Deinde data responsio non procederet in casu quo Deus revelaret Petro, v. g. quod Turca intra centum annos exterminabitur, & simul adderet, quod si Petrus hoc nollet credere, nollet illi hoc peccatum incredulitatis unquam dimittere: in hoc, inquam, casu peccatum incredulitatis esset intrinsicè irremissibile, & tamen de hoc solo procederet decretum Dei: ergo ex fundamento adversariorum sequitur, quod Deus posset habere & manifestare decretum determinatum de non faciendâ Chymera, hoc autem esse absurdum, & fatetur tacite adversarij, & vel in se patet, quia ineptè ageret Deus, docendo hominem aliquid, quod nemo nisi stultus ignorare potest, tale autem est: Deum nolle facere chymeras.

Præterea indignum plane Deo est, revelare in genere decretum de non faciendis aliquibus, inter quæ sint aliqua factibilia, aliqua non factibilia: quis enim non exploderet eum, qui, Deo revelante, se extra hunc mundum nihil produxisse, hanc revelationem ita interpretaretur, quod Deus revelaverit suum decretum generale, quo decrevit extra hunc mundum nec possibile nec impossibile quidquam creare: sed quæso, quare talis meretur explodi? nunquid ideo, quia quando Deus dicit, se aliquid non fecisse, aut nolle facere, censetur ab omnibus ratione præditis loqui de eo quod facere posset? Itaque de impossibilibus Deus non revelat se ea nolle facere, sed, se ea facere non posse, ex quo quivis sanæ mentis infert: ergo ea non vult noluntate necessariâ. e contra quando Deus dicit, se aliquid nolle, ab omnibus supponitur, quod liberè nolit, & posset velle. Ratio est, quia quidquid Deus generaliter dicitur nolle, posset Deus revelare, & distributivè per singula affirmare, se nolle id facere, & quidem unum sicut alterum, alioquin deceptorie loqueretur & æquivocaret: atqui de peccatis remissibilibus diceret, se ea liberè nolle remittere, de irremissibilibus autem non posset dicere, se ea liberè nolle: ergo non potest de remissibilibus & irremissibilibus generaliter loqui & dicere, se ea nolle remittere.

903. Ad argumentum ergo Lugonis respondendum est, & simpliciter negandum, posse Deum generaliter & in confuso revelare revelatione essentialiter divinâ, se Petro v. g. nullum peccatum remissurum esse, faciendo illi potestatem peccandi dependentem ab hac ipsa revelatione, & sic committendi peccatum essentialiter irremissibile: sed revelatio deberet semper procedere de peccatis independentibus à revelatione tali, & distributivè enumerabilibus, & intrinsicè remissibilibus. Hanc responsionem dare debent ipsi adversarij imprimis in casu supra posito, quo Deus revelaret, se nullum peccatum remissibile remissurum, quia alioquin sequeretur posse dari peccatum quod simul esset & non esset remissibile, ut supra demonstratum est. Secundò, hanc responsionem dare debent adversarij, si quis ex modo illorum argumentandi vellet probare, posse dari peccatum essentialiter impunibile, quod ipsi meritò fatentur esse impossibile, cum de conceptu peccati sit, facere reum pœnæ, utique pœnæ possibilis. Argumentum autem facile quisque formaverit. Si Deus revelet Petro, se nullum illius peccatum puniturum: & Petrus dependenter ab hac revelatione peccaret, tale peccatum esset essentialiter impunibile, alioquin posset falsificari revelatio. Respondendum, inquam, est, sicut rectè nuper aliqui Recentiores responderunt, vel talem revelationem non fore essentialiter divinam, vel non se extendere ad peccata dependentia à tali revelatione.

Recentiores autè adducti pro confirmatione sui peccati irremissibilis, ausi sunt docere, defacto dari in damnatis huiusmodi peccata irremissibilia, & hoc putarunt esse evidens ex hoc discursu. Damnati enim eliciunt acerbissimum odium Dei, cujus motivum formale est actualis permissio pœnæ æternæ, actualis necessitas æternæ desperationis, actualis immersio in abyssum calamitatis sempiternæ; & hæc omnia quatenus intuitivè cognita, & intuitivè actualiter habita, sunt motivum formale: sed est impossibile elicere acerbissimum hoc odium Dei propter hoc motivum formale, quatenus intuitivè cognitum & intuitivè habitum, nisi ab homine damnato, cui nullum peccatum remitti potest: ergo istud odium Dei est intrinsicè essentialiter irremissibile, cum intrinsicè & essentialiter sit actus damnati, proportionatus & commensuratus intrinsicè & essentialiter intuitivæ repræsentationi talis motivi formalis, & intuitivæ actuali perpassioni ejusdem motivi. Hæc illi, sine omni auctoritate (nam Lugo nullum irremissibile peccatum defacto agnovit, imò etiam de possibili potiùs dubitativè quàm assertivè locutus est) & sine veritate. Supponunt in suo discursu, quod odium Dei in damnatis procedat ex cognitione metaphysicè evidente, de perpetuandis tormentis per totam æternitatem ex libero Dei decreto, quod est falsissimum; unde enim per metaphysicam evidentiam illis innotescit divinum decretum? Experientia præsens

& in primo instanti damnationis, non probat evidenter metaphysicè, quòd sint duratura tormenta aeternum; nec est metaphysicè evidens, quòd illa ipsa tormenta, & omnia argumenta quæ damnatus naturali intellectu penetrat, & à quibus inducitur ad iudicandum, fore pœnam aeternam, non possint in aliquo supposito existere, quin verè durarent aeternum. Sufficit illis evidentia moralis, & absentia omnis probabilitatis de pœna aliquando remittenda. Itaque tantum abest damnatos habere evidentiam metaphysicam de pœnis aeternum duraturis, ut repugnet eam haberi cognitione naturali, ad hoc enim esset necesse, illas pœnas esse intrinsicè perpetuas. Denique in mea sententia (quam nuper Romæ etiam docuit Recentior Hispanus sapè à me laudatus) po-

test vnum peccatum remitti sine alio, & sic Deus posset damnatis extrinsecè condonare peccatum Odij, & tamen illos aeternum attingere propter peccata commissa in via. ergo etiamsi condonarem, peccatum Odij ex intrinsicè peccatis essentialiter supponere statum damnationis pœnæ, nullo modo legitime inferretur, illud est intrinsicè irremissibile. Sed de hoc satis. Oportet alia argumenta, quibus hoc peccatum irremissibile solet impugnari, ut quòd præjudicet contra misericordiam Dei, quòd haberet infinitam consistendi illius Clementiæ, quòd esset contra omnimodè eligibile, adeoque gravissimum delictum, quod quidem ab adversarijs eluduntur, necesse est ut men rectè solvantur.

CAPVT II.

DE PRÆCIPVO POENITENTIE ACTV AD PECCATI DELETIONEM IDONEO, CONTRITIONE.

CONTROVERSIA I.

Quale Motivum esse debeat Contritionis, prout differt ab Attritione.

904. **N**otandum 1. Contritionem Theologicè per hoc distingui ab attritione, quòd ille actus dicatur Contritio, qui est connexus cum hominis justificatione, sive ut dispositio vltima, sive ut forma iustificans (de quo alibi dictum) etiam sine vilo Sacramento re suscepto: Attritio verò dicatur omnis illa supernaturalis detestatio peccati, quæ sine Sacramento re suscepto non trahit secum justificationem.

Notandum 2. Motiva, ex quibus peccata detestamur, alia esse vniuersalia, hoc est, extendentia se ad omnia peccata, ut Motivum Obedientiæ, Religionis, Charitatis, Spei &c. alia sunt specialia & diversa pro diversitate virtutum quas specificant, & non se extendunt ad omnia peccata, ut Motivum Temperantiæ, Liberalitatis, Misericordiæ &c.

Notandum 3. Ex motivis vniuersalibus aliqua esse, quorum honestas desumitur per ordinem ad Deum, præcisâ omni pœnâ & præmio, adeoque possunt intendi etiam si nullum præmium obtineretur, aut nullus reatus pœnæ incurreretur: huiusmodi est motivum Religionis; est enim honestum colere Deum ut supremum ens, illique obedire, secluso omni præmio, & metu pœnæ. Alia verò sunt, quæ desumunt honestatem à præmio quod intenditur, & pœnâ quæ declinatur. Porro quia difficilius est operari propter honesta-

tem non attento præmio aut pœnâ, adeo illæ priores virtutes sunt nobiliores, & laudabiliores earum actus. His positis

Quæstio præfens est, ex quo motivo debeat esse Contritio perfecta & iustificativa. Prima Sententia est, non solum ex motivo perfecte Contritionis, cuius actus habent Deum pro fine C77, sed etiam ex motivis vniuersalibus supra memoratis, quæ non respiciunt præmium aut pœnam, ut est motivum Religionis, Obedientiæ, Gratiarum, posse haberi Contritionem iustificativam etiam Sacramento. Ità non pauci RR. innotuit, quibus occasionem ità sentiendi præbuit Suarez, inquit, sibi ità olim visum esse de motivo Iustitiæ, quod motivum putat hic auctor esse proprium Pœnitentiæ, qui etiam supponit, omne peccatum esse contra Iustitiam erga Deum. Hanc Sententiam Vasquez vocat erroneam; quæ contra censuram nimia est, ut ostendit Lugo, & agnoscit Arriaga, qui tamen immeritò dicit eam à Lugo non defendi ut probabilem, hoc enim Lugo non obicit, sed solum adducit argumenta quædam speciosa, ob quæ potuerit Recentioribus videri probabilem, quod est longè aliud: nam nec Arriaga negat eam multis RR. visam esse probabilem, & tamen ipse negat esse probabilem, quod notare voluit, ut quis legens Arriagam, amplectatur hanc Sententiam ut probabilem ob Lugonis auctoritatem.

905. Dicendum est, ad Contritionem justificativam requiri motivum Charitatis Dei super omnia dilecti. Est Sententia clara S. Thomæ 9. 86. a. 3. in C. vbi dicit, ad rationem veræ Pœnitentiæ requiri, vt displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum. Questio hæc, cum sit facti (potuisset enim Deus alios etiam actus acceptare) probanda est ab auctoritate. Itaque

Ad probandam Conclusionem adducuntur varia Scripturæ testimonia 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Lucæ 7. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* hoc est, ei qui nihil diligit, nihil dimittitur. Accedunt Patrum locutiones. S. Aug. *serm. 7. de tempore.* Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Verùm hæc & similia non difficulter recipere interpretationem, vt videre est apud Lugonem & Arriagam, nisi accederet gravissima auctoritas Concilij Trid. quod planè videtur conclusionem definitivè, ad quod pertinebat interpretari sensum Scripturarum, & attendere communem sensum DD. Ecclesiæ. Itaque Sess. 14. c. 4. distinguit inter Contritionem perfectam & imperfectam, quæ vocatur Attritio, quod Contritio tunc justificet sine Sacramento in re suscepto, quando est charitate perfecta, non item, quando ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur. Vbi observo, quod Concilium non tantum excludat actus procedentes ex metu pœnæ, sed etiam procedentes ex turpitudine peccati, tales autem sunt etiam actus, quibus detestatur peccatum prout opponitur honestati Religionis, Obedientiæ, Gratiitudinis, &c. Nam turpitudine peccati consistit in privatione rectitudinis debite, hoc est, honestatis illius formalis, quæ invenitur in actu Religionis, Obedientiæ, &c. adeoque qui movetur ab honestate objectiva Religionis, Obedientiæ, &c. ad detestandum peccatum, attendit turpitudinem peccati; & tamen talem actum, ait Concilium, non nisi cum Sacramento justificare: ergo rejicit Concilium etiam illos actus, quos admittit contraria Sententia.

Objicies. Si verba Scripturæ essent intelligenda de dilectione perfecta, essent falsa: sapè enim homo justificatur sine perfecta dilectione, scilicet per Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione susceptum, sicut & per martyrium. R. Hanc objectionem etiam adversarijs solvendam esse; nam etiam sine illis actibus, ad quos illi extendunt efficaciam contritionis, potest quis justificari cum Sacramento Pœnitentiæ, nempe cum dolore ex metu gehennæ, quem tamen nemo dicit esse Contritionem perfectam. Itaque neganda est sequela: nam licet verba sint univèrsalia, est tamen subintelligendum, sicut in plerisque alijs regulis: præterquam in casibus exceptis in eadem Scriptura sacra: talis casus est vñs privilegij concessi per Sacramentum Pœnitentiæ, id quod optime probat P. Valentia d. 7. q. 8. punct. 3. §. Hoc verò, nisi enim hæc exceptio subintelligeretur, Christus non contulisset reverà, & cum efficacia suis Mini-

stris potestatem remittendi peccata, semper enim essent remissa per contritionem, vel Pœnitentiam non adesset, absolutio nihil operaretur, & sic beneficium Pœnitentiæ esset onus gravissimum, sine notabili & comparabili commodo. Voluit ergo Christus consulere fragilitati humanæ, & instituire Sacramentum, quod suppleret defectum dilectionis; ac proinde qui adhibet hoc Sacramentum, licet non diligit formaliter, diligit tamen æquivalenter, hoc est, substituit aliquid æquivalens dilectioni: sicut dicuntur omnia Sacramenta constare verbis, & tamen in Matrimonio non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt æquivalentia, vt nutus: & sicut Christus dicitur, redemisse B. Virginem non formaliter, sed æquivalenter, hoc est præservando à peccato. Simili modo dicit S. Augustinus, quod non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & tamen non semper restituitur ablatum formaliter, sed æquivalenter, v. g. pecunia pro equo ablato. Hinc nata est phrasis vitiosissima Theologis, quod Sacramentum Pœnitentiæ faciat ex attrito contritum, non vtique formaliter, sed in effectu & æquivalenter.

906. Probatur Conclusio 2. Scriptura extra Sacramentum requirit ad Justificationem conversionem peccatoris ad Deum: Deuteron. 4. *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quaesieris eum.* Joel. 2. *Convertimini ad me ex toto corde vestro.* Isaiæ 31. *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* Atqui perfecta conversio intentionalis à creatura ad Deum, non fit nisi per actum Charitatis, quo Deus constituitur pro fine CVI, ergo hic solus est contritio justificativa. Minor probatur. Vt enim conversio sit perfecta, debet homo avertendo se à creatura converti ad Deum eo modo & perfectione, quo se per peccatum avertendo à Deo convertit ad creaturam: atqui hæc aversio consistebat in hoc, quod homo creaturam prætulit amicitia divina & Deo, constituendo creaturam pro fine CVI, ultimo: ergo vt conversio sit perfecta, debet Deus constitui pro fine CVI, ultimo: atqui hoc non facit vllus alius virtutis actus præterquam actus Charitatis; nam omnes aliæ virtutes habent ipsum hominem pro fine CVI (non tamen ultimo & adæquato, sed vltèriùs referibili à Charitate ad Deum vt finem CVI, vltimum) nempe quia amant ipsi homini suam honestatem: ergo solus actus Charitatis est perfecta conversio.

CONTROVERSIA II.

An, & quo sensu Malum culpæ sit majus, magisque detestabile per Contritionem perfectam, quàm malum Pœnæ Inferni.

907. Dicendum est, Malum culpæ prout est offensa Dei, esse majus malum quàm malum pœnæ aternæ, & per contritionem magis detestandum

detestandum affectu pratico. quæ vltima verba quare addantur, patebit ex solutione quintæ objectionis. Ità omnes Catholici. Omisâ probatione RR. non minùs operosâ quàm obscurâ,

Probatur Conclusio 1. In comparatione duorum malorum illud est altero majus malum magisque detestabile, quod simpliciter reddit hominem malum, alterum verò potius jam supponit malum quàm faciat: atqui malum culpæ reddit hominem simpliciter malum, non item malum pœnæ, quod jam supponit malum: non enim homo est malus, quia punitur (dicente S. Dionysio: *Puniri non est malum, sed esse pœnâ dignum est malum*) sed econtra ideo punitur, quia per peccatum malus effectus est: ergo, &c. Major probatur. Per illud redditur aliquid simpliciter malum, per quod redditur ineptum ad suum vltimum finem: sed homo per peccatum redditur ineptus ad suum vltimum finem, & per nihil aliud: non quidem per aliquid præcedens, nam omnia quæ præcedunt, sunt idonea vt hominem perducant ad vltimum finem, etiam tentationes à dæmone immixtæ: sed neque per aliquid subsequens: hæc enim supponunt hominem beatitudine, quia jam inuenit hominem per peccatum redditum ineptum ad beatitudinem, vtpote quo constituitur inimicus Dei, indignus gratiâ sanctificante, quæ est radix beatitudinis.

Probatur 2. Illud, cuius Deus auctor esse non potest, est majus malum illo, cuius est auctor, & quod in ejus laudem & gloriam cedit. Sed peccatum est malum, cuius Deus auctor esse non potest, (vt lib. 2. probatum est) econtra pœnæ æternæ Deus est auctor, indeque gloriosus atque laudabilis. ergo, &c.

Probatur 3. Illud malum quod à Sapientissimo agente adhibetur ad cavendum alterum malum, est minus malum altero; sed pœna damni & sensûs adhibetur à Deo ad impediendum malum culpæ: ergo illud est minus malum isto. Major patet. v. g. medicus præcidit brachium, vt vitam salvet: econtra stultè ageret, qui in Caussidicum mille florenos expenderet, vt lucraretur causam vnus floreni. Minor autem probatur. Nam Deus minatur pœnam æternam, vt absterreat à peccato; & commissio peccato infligit pœnam æternam, vt alios ab eodem absterreat. Declaratio & limitatio Conclusionis pendet, & patebit ex objectionum solutione.

908. Objicies 1. Si malum culpæ est per Contritionem magis detestandum, quàm malum pœnæ, sequitur, quòd casu quo homo constitueretur in eo necessitatis articulo, vt vel deberet de novo peccare mortaliter, vel adire pœnam inferni, deberet vi Contritionis potius eligere infernum quàm peccare: consequens imprimis est valde durum, & videtur esse supra vires humanas: deinde etiam ex alio capite videtur hoc absurdum: ergo, &c. Sequelam omnes admittunt cum S. Anselmo *ib. de similitudinibus c. 190.* sequelam verò esse absur-

dam videtur agnovisse Durandus in 4. dist. 7. docens, malum æternæ pœnæ nunquam eligibile ad vitandum peccatum: & licet RR. communitè interpretentur, quasi loquantur de facto, quia defacto Deus decrevit non pertinere eventum, quo electio inferni sit medium ad vitandum peccatum, nihilominus, quidquid sit de mente Durandi, Casum de facto contingere posse concedit Lugo, & est iste. Petrus existens in peccato mortali putat ex invincibili errore, necesse esse salvari sine Sacramento Pœnitentiæ re saltem cogitare autem à Tyranno ad abnegandam Christianitatem, vel ad moriendum, neque est copulatio: qui possit conferre Sacramentum Pœnitentiæ: in hoc casu Petrus necessario iudicet vel vitandum esse ad infernum, ob peccatum jam commissum, vel de novo peccandum abnegando fidem. Quòd autem absurdum sit, in hoc casu Petrum obligari ad eligendam mortem, & persequens infernum (in sua erronea æstimatione) præ abnegatione fidei, probatur; quia in hoc potest homo ex motivo pœnitentiæ specialiter adhibere media ad delendum peccatum commissum. non habet autem præfens aliud medium quàm prolongationem vite, donec horum veniat confessarium: non potest autem vitam prolongare nisi abnegando hic & nunc certam fidem: ergo honestum est illi, vt hoc medium, quæ est actus virtutis Pœnitentiæ specialis. Sicut Petrus potest in hoc casu formare iudicium, se morti ad abnegandam fidem: est enim naturaliter obligatus ad non præcludendam sibi viam & spem qualemcunque consequendæ salutis & vitæ finis ad quem est creatus, & ad non eligendum illud, quo electio est illi necessario desperandum de salute. atqui superest vnica via & spes, à prolonget vitam abnegando simulatorem fidem contra si eligat mortem, est illi desperandum de salute. de qua nunquam licet desperare. Ergo, &c.

909. Ad hanc difficultatem tres resolutiones adhiberi possunt, quarum duæ sunt à RR. tertiam ego alijs dijudicandam proponam.

Primò ergo responderi posset, concedendo sequelam; negando minorem quoad vitandum membrum, vel potius distinguendo quoad vitandum membrum: est talis electio dura, dicitur quàm suâ culpâ induxit ipse homo per primum peccatum, conceditur, secus negatur: neque potest homo de illa duritie conqueri rationabiliter, cum enim peccando se reum constituit æternæ pœnæ, possitque à Deo statim sine mora detracti in infernum, non potest durum videri, si obligetur ad infernum eligendum ne de novo peccet, & vitæ augeat, eoque aucto possit statim ad gratiam pœnæ damnari: sicut qui reus capitis ad supplicium ducitur, non potest conqueri quòd obligetur porrigere collum ferro; si enim retulisset, augebit culpam, & graviore supplicio afficietur: quo cognito non reputat gratiam spontaneam porrectionem collis, ex proposito delicto. Quoad probationem secundam

hri, negatur ad Pœnitentiã virtutem pertinere, eligere quæcunque media ad delendum peccatum, sed eligere media à Deo approbata, non enim sunt faciendã mala, vt eveniant bona. Hæc est prima responsio, quæ pluribus replicis exagitari posset. Ob quas

910. Secunda responsio huic è diametro opposita est, negando posse accidere talem casum, in quo peccatum & pœna æterna ita veniant in comparationem deliberativam, vt vel admittendum sit peccatum, vel eligenda pœna æterna formaliter spectata, & cum perpetua dissolutione amicitia divina. Probant 1. Peccatum non potest esse medium necessarium ad evitandam pœnam æternam: sed hoc fiet in tali casu, si alterutrum esset necessarium, pœna vel culpa: ergo, &c. probant majorem. Repugnat peccatum esse licitum & honestum: sed si esset in aliquo casu necessarium ad evitandam pœnam æternam, esset licitum & honestum, quia valde evidens est, quòd liceat cuivis tendere ad vltimum finem, ad quem à Deo est ordinatus, & facere id, quod ad hunc consequendum est simpliciter necessarium: ergo non potest dari casus, in quo peccatum sit simpliciter necessarium ad evitandam pœnam æternam. Probant 2. Si posset talis casus accidere, tunc obligaretur homo ad eligendam potiùs æternam pœnam quàm peccatum, quia peccatum est simpliciter ineligibile: atqui non potest esse obligatus ad eligendam istam pœnam in his circumstantiis, quia deberet dicere: Ego vt Deum non offendam, volo æternum manere ipsius inimicus, & ipsum offensum & iratum habere: hoc autem iam esset contra aliud præceptum, quo quilibet est obligatus, vt in via positus velit Deum offensum sibi reconciliare, si potest: ergo non potest esse obligatus etiam, vt dicat: ego in æternum volo esse inimicus Dei. Probant 3. Si homo in aliquo casu teneretur eligere pœnam æternam, deberet hæc obligatio provenire ex præcepto Charitatis, quo tenemur amare Deum super omnia, & plus etiam quàm nos ipsos; sed ex hoc præcepto non potest oriri prædicta obligatio, quia hoc præceptum ordinatur ad procurandam & conservandam amicabilem conjunctionem nostræ voluntatis cum divina, & consequenter vi istius præcepti non possumus obligari ad aliquid, quod est directè impeditivum & exclusivum huius conjunctionis: sed æterna damnatio est talis: ergo ex præcepto charitatis non possumus obligari ad eam eligendam.

Ad Casum à Lugone propositum respondent, posse accidere, vt aliquis putet, peccata tantum posse remitti per Sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum: verum talis constitutus in necessitate, qualis ponitur in casu, necessariò iudicaret, abnegationem fidei vel adulterium esse sibi licitum, quia iudicaret hoc esse medium necessarium unicè & simpliciter ad consequendum vltimum finem, & Deum reconciliandum, quod est formaliter esse honestum & licitum, adeoque non teneretur eli-

gere pœnam æternam, sed potiùs vt medio necessario ad salutem, cum quilibet homo sit obligatus, vt in via amplectatur media simpliciter necessaria ad eum finem, ad quem tenetur tendere.

Quod si casum ita fingamus, vt talis homo simul iudicet, abnegationem fidei esse inhonestam hîc & nunc, & tamen etiam esse simpliciter necessariam ad consecutionem vltimi finis, respondent isti, eum habiturum iudicia omnino contraria, adeoque fore ita perplexum, vt ad nihil obligetur, neque peccet, quidquid eligat; sicut si quis iudicaret, mendacium semper esse peccatum, & ex altera parte crederet etiam, se obligari ad iudicandum proximum, quod hîc & nunc putat fieri non posse sine mendacio, non peccaret, licet eligeret mendacium putans esse peccatum. Hæc est altera quorundam ingeniosorum Responsio.

911. Vt aliam, & tertiam responsionem mihi probabiliorẽ & expeditiorẽ subijciam, suppono priùs doctrinam pulcherrimam & consolatoriam, quam alibi, & ad aliud propositum, tradit Card. Pallavicinus, nempe, nunquam fieri posse, vt homo vltimo auxilio supernaturali cooperetur, & tamen damnetur: rationem dat: quia vltimum auxilium supernaturale est essentialiter medium, & vt tale eligitur à Deo, vt homo, cui illud gratis confert, eo mediante perveniat ad vltimum finem: ergo si homo illi cooperatur, & actus correspondens illi auxilio non est sufficiens ad justificationem, Deus vt auctor supernaturalium necessitatatur vi collationis talis auxilij, ad procurandum aliud auxilium, disponens & sufficiens ad justificationem, si homo cooperetur: si ergo homo cooperabitur, justificabitur, sin minus, damnabitur, quia vltimum auxilium frustra vit. Hac doctrinã suppositã,

Ad Casum Lugonis respondeo, quòd ad Providentiam Dei spectet, providere illi homini talem illuminationem, cum qua si cooperetur, justificabitur: cum enim adhuc sit in via, & vt ponitur in casu, recipiat adhuc auxilium supernaturale, disponens ad nolendum negare fidem, hoc ipso illuminabitur taliter, vt intelligat, se ita posse non negare fidem, vt simul etiam possit evadere pœnam æternam: v.g. cognoscat ad Dei bonitatem spectare, vel non permittere, vt mors inferatur à Tyranno, vel dispensare in lege illa vniuersali de non salvando peccatore nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, sicut dispensat Deus cum Martyribus, nam talis homo moriendo pro fide, esset vtrique Martyr. Et hæc responsio mihi videtur expeditissima, donec alius meliorem suggerat.

912. Obijcies 2. Malum æternum & irreparabile, est majus illo quod est reparabile; sed pœna inferni est irreparabilis & æterna: malum autem culpæ est reparabile per pœnitentiã: ergo illud est majus isto. R. Majorem vniuersim esse falsam. Nam malum amissæ Virginitatis ex: gr. (quod fieri potest per actum conjugalem honestum)

O o o o 3

honestum) est malum irreparabile, & tamen vique non est majus, quàm malum culpæ: idem est de malo cæcitat, & similibus. **R.** 2. Negando minorem. Nam reverà quocumque modo est irreparabilis pœna inferni, postquam semel incepta est, eo ipso modo est irreparabilis culpa, postquam accessit finalis impœnitentia: antecedenter verò sicut culpa est reparabilis per pœnitentiam, ità per eandem est declinabilis pœna inferni: deinde inferni irreparabilitas præsupponit tanquam causam culpam ut irreparabilem post finalem impœnitentiam, & sic infernus est irreparabilis propter irreparabilitatem culpæ: propter quod autem vnumquodque tale, illud magis tale: ergo magis vnumquodque est irreparabilis culpa quam infernus.

913. Objicies 3. Sicut illud est melius, propter quod habendum quaritur aliud, ità illud est deterius, propter quod vitandum vitatur aliud, juxta illud: propter quod vnumquodque tale &c. atqui peccatum vitatur ad vitandam pœnam inferni. ergo &c. Ad hanc objectionem respondet P. Esparza, illud malum esse majus, quod boni oderunt magis, non quod mali, quia soli boni sequuntur rectam rationem, quæ est vera regula bonitatis & malitiæ: boni autem magis oderunt malum culpæ quàm pœnæ, & mali e converso, juxta illud Horatii: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore.* Hac tamen responsio patitur difficultatem, si spectetur ut verba sonant. Nam etiam juxta rectam rationem potest quis ad vitandam pœnam inferni vitare peccatum, neque hic actus est proprius malorum: Deus enim non tantùm malis, sed etiam bonis minatur infernum ut absterreat à peccato: ergo est juxta rectam rationem, moveri hac comminatione. Quid quid ergo sit de hac responsione,

Aliter & clarè respondeo, distinguendo inter hæc duo: **A.** eligi hic & nunc præcisè propter **B.** &: **A.** esse præcisè eligibile propter **B.** Hoc posterius arguit **A.**, esse minus bonum quàm **B.** quia habet præcisè rationem medij respectu **B.**, tanquam finis. Bonitas autem medij quæ talis, minor est quàm bonitas finis, quia est præcisè bonitas desumpta à bonitate alterius. & hoc sensu etiam conceditur, quòd malum præcisè vitabile propter vitandum alterum, sit minus malum. Sed jam nego, peccatum esse præcisè vitabile propter infernum: est enim etiam per actum charitatis vitabile propter Deum ut finem *CPI*, secluso omni periculo inferni. Quoad prius verò membrum meæ distinctionis dico, eò quòd hic & nunc eligam præcisè **A.** propter **B.** bene quidem argui, à me minus amari **A.**, quàm **B.**, sed nullo modo argui, quòd **A.** sit minus bonum in se, quàm sit ipsum **B.** possum enim, optimè gnarus **B.** esse minus bonum quàm **A.** magis amare **B.**, quàm **A.** sic peccans gnarus Deum esse meliorem quavis creaturâ, potest magis amare creaturam quàm Deum: imò simile quid contingit in actu licito, & honesto: ut si quis elingat Calibatum præcisè propter bonum stu-

dij & peregrinationis libera per varia regna, pro rus Calibatum in se esse meliorem quàm stium & regnorum considerationem: nihilominus tamen si non esset studium aut peregrinatio, duceret vxorẽ. E contra etiam potest quis hic & nunc vitare infamiam præcisè ad vitandam jacturam ambulationis lucri, & sic de alijs, præcisè ad vitandam jacturam lucri, & sic de alijs, præcisè ad vitandam jacturam lucri: ergo pari modo potest quis hic & nunc vitare peccatum propter infernum, præcisè ad vitandam jacturam lucri, infernum non consequeretur culpam.

914. Objicies 4. Illud quod privatur potentia ad actum, est pejus quam illud quod privatur solo actu: v. g. Cæcitas est magis malum, quàm præcisè negatio visionis, aut recedere cæcitates negationem visionis, & abscessio pedum majus malum, quàm præcisè ligatio pedum, privans actu ambulationis, quia cæcitas & abscessio privant potentia ad actum visionis & ambulationis: atqui pœna æterna privatur potentia ad actum bonos, quibus homo potest redire ad amorem Dei, & consequi suum finem, peccatum respicitur solis actibus: ergo est minus malum. **R.** tatio à priori videtur esse, quia privato altitudi secundi, continetur in privatione actus primi potentia. **R.** Distinguendo majorem. In privatio potentia non est effectus privationis tati secundi, concedo, si est effectus illius, negotiorum: jam verò pœna æterna ut privatur potentia ad actum bonos, est effectus peccati, & ad privatio potentia continetur in peccato ut causa, ac præterea, ut supra notavi, peccatum habet etiam ex alio capite malitiam quàm quod habet pœnam. Non ità se res habet in Cæcitate respectu tenebrarum aut negationis visionis, & abscessio respectu ligaminis, hoc enim non est effectus abscessionis &c.

915. Objicies 5. Illud malum est aliud majus, quod ut imminens est materia majoris, est doloris, quàm aliud malum præsens vel futurum: sed pœna inferni ut incurrenda, est materia justis majoris doloris, quàm culpa præsens vel futura, ergo &c. Minor probatur à paritate. Vnusquisque rationabiliter magis dolet, si circumstantijs paulò post fore in circumstantijs moraliter insistantibus ad peccandum mortaliter, quam si sciret, sciens se de præsentem esse in peccato veniali vel Deum permittitur esse, ut labatur in veniale: nam necessitas moralis ad malum, hoc est sine spe evitandi, licet physicè evitari possit, non aquè à nobis estimatur atque necessitas physicè evitandi pro casu nostro. Atqui peccatum inferni inferit moralem & sine spe evitandi necessitatem gravissimè peccandi mortaliter per aternitatem: ergo pœna inferni est materia majoris justis doloris, quàm præsens culpa etiam venialis.

Ob simile argumentum P. Arriaga in. 2. ubi arguit, non carere magnâ probabilitate, quod pœna inferni non sit materia majoris justis doloris, quàm præsens culpa etiam venialis.

Ive mendacium posset rectè eligi ad vitandum infernum, si alterutrum esset necessarium, & talem electionem Deo magis placituram, adeoque tunc mendacium non fore peccatum. Quæ doctrina est contra communem sensum DD. & etiam si vera esset (quod non, est) non solveret præsentem objectionem.

Respondetur cum Card. Lugo, & Pallavicino c. 9. n. 105. distinguendo inter affectum speculativum & practicum, hoc est, electivum. Itaque de affectu practico non procedit nec probat objectio, sed benè probat de affectu speculativo, hoc est, non influente in culpam, nec illam eligente. Sic etiam potest quis affectu speculativo gaudere de culpa præterita, propria & aliena, tanquam materia humilitationis, compunctionis &c. Et propter hæc addita sunt in Conclusionem ultima verba: *Affectu practico*. Hinc tamen non sequitur, poenam inferni esse simpliciter majus malum peccato, quia hoc desumendum est per ordinem ad affectum practicum.

Replicabis. Objectum affectus practici & speculativi nihil inter se differunt: ergo repugnat vnum affectum esse honestum & alterum inhonestum: debet enim honestas vel inhonestas desumi ab objecto. R. Negando antecedens. Nam affectus practicus tendit in objectum ut habens dependentiam à libero exercitio sui subiecti, vult enim objectum facere, & dependere à se. affectus verò speculativus vult objectum se-

cundum circumstantiam independentiæ à se, si-ve, ut ponendum ab alio, in exemplò. desiderat aliquis amico iacturam bonorum temporalium, quia videt, quòd sint ipsius ruina spiritualis: & talis affectus speculativus vult illam iacturam ut ponendam aliquo casu fortuito, vel alio à se independente, & est honestus, sic S. Augustinus desideravit superbis lapsum, quando dixit *lib. 14. de Civit. c. 13. ad finem*. [Audeo dicere, superbis vtile esse cadere in aliquod manifestum peccatum, ut sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.] Non licet tamen illam iacturam velle practicè, hoc est, velle illam inferre. Jam ergo, quando quis affectu speculativo minùs odit peccatum mortale ut jam existens, vult præcise hoc quod est: poni à Deo seu conservari id, in quo consistit peccatum habituale secundum id quod superaddit actuali, & hoc non est aliquod liberum exercitium hominis, sed vel negatio condonationis, vel negatio gratiæ &c. pro diversitate sententiarum in hoc puncto, de quo actum in 2. libro. Item quando quis affectu speculativo minùs odit permissionem divinam peccati quàm infernum, mavult poni in illis circumstantijs, in quibus Deus videt eum lapsurum, quod iterum est objectum ponendum independentem ab exercitio libertatis humanæ, & sæpè est beneficium, quando scilicet est occasio majoris sanctitatis, imò effectus Prædestinationis, ut tradunt SS. PP.



CAPVT III.

DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

CONTROVERSA I.

An defacto Pœnitentia sit necessaria necessitate medij.

TRiplex quæstio circa necessitatem Pœnitentiæ est; 1. an defacto, ex divina saltèr ordinatione & decreto, sit retractatio peccatorum commissorum necessaria necessitate medij. 2. an etiam sit necessaria necessitate medij in ordine ad potentiam Dei absolutam. 3. an sit necessaria necessitate præcepti, & quomodo. Ad 1. quæstionem quæ facilis est,

DICO 1. Aliqua retractatio, vel formalis vel virtualis, est defacto necessaria necessitate medij. Habetur in Trident. *sess. 14. c. 4.* Per virtutalem Pœnitentiam intelligimus actum, qui quidem non est explicitè reflexus supra peccata commissa, formalisque eorum retractatio, est tamen talis profectio honestatis objectivæ oppositæ, ut

sit impossibilis cum voluntate committendi tale peccatum, & consequenter si occurreret memoria peccati commissi, talis actus determinaret ad formalem retractationem peccati commissi. Probatur ex S. Scriptura. *Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Eccles. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei. Apocal. 1. Age pœnitentiam, sin minus, veniam tibi cito. Ezech. 18. & alibi passim.* Congruentia cur Deus ita ordinaverit, ut homo post lapsum aliter non admittatur ad gratiam, redditur à S. Thoma *q. 86. a. 2.* & illustratur à Recentioribus. Homo est agens liberum, & per peccatum liberè se avertit à Deo, & convertit ad creaturam, ideo congruum est, ut non redeat ad Deum, nisi per motum contrarium priori, per motum scilicet intentionalem

rationalem voluntatis, revocando priorem voluntatem, & deestando statum peccati, ac desiderando statum iustitiæ.

917. DICO 2. Non est necessarius necessitate medij actus elicitus à Pœnitentia ut est virtus specialis, explicata supra. Est contra Tannerum. Probat. Nam actus Charitatis iustificat: atqui ad hoc ut iustificet, non est necesse, ut imperetur à Virtute Pœnitentiæ, alioquin vis iustificandi potius actui imperanti quàm actui imperato tribuenda esset: ergo actus Pœnitentiæ specialis non est necessarius necessitate medij.

918. DICO 3. Non est necessaria necessitate medij Pœnitentia formalis, sed sufficit Pœnitentia virtualis, in casu quo virtualis dari potest sine formali. Est contra Melchiorem Canum, qui asseruit, posse actum perfectæ dilectionis existere in homine peccatore, quando deest formalis retractatio. Probat. Potest enim homo non recordari suorum peccatorum, adeoque tunc non potest elicere formalem retractationem, potest tamen tunc cognoscere bonitatem Dei, & ab ea moveri ad amandum Deum; quo amore homo ille iustificabitur: ergo vera est conclusio. Major est certa. Minor probatur. Nam actui charitatis promittitur reciprocus Dei amor & iustificatio. Proverb. 8. *Universa delicta operit Charitas, Ego diligentes me diligo &c.*

CONTROVERSIA II.

An Pœnitentia sit necessaria de potentia absoluta.

919. DICO, non esse sic necessariam, sed posse hominem iustificari absque omni prævia pœnitentia. Est contra utrumque Sorum, Lorcan & Becanum & Amicum *de Justific. d. 32. sect. 22. n. 50.*

Pro fundamento Conclusionis supponendum est, ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessarium actum perfectæ dilectionis, hic enim tantum est necessarius, juxta præfens Dei decretum, disjunctivè, vel ipse, vel Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc posito

Probat. Conclusio. Ad remissionem peccati, sive ea fiat per infusionem Gratiæ, sive per meram condonationem extrinsecam, de potentia absoluta non requiritur talis prævia dispositio, quæ sit ex natura sua connexa cum remissione peccati: ergo nulla requiritur. Antecedens concedunt adversarij. Consequentia probatur. Dispositio quæ connaturaliter ad formam requiritur, eam tamen non trahit indispensabiliter post se, potest à Deo suppleri tanquam à supremo Domino omnium creaturarum, ut communiter omnes concedunt in alijs formis: ergo nisi ostendatur specialis repugnantia in remissione peccati, potest homo, utpote etiam post peccatum capax remissionis ejusdem, & reconciliationis cum Deo, transire à denominatione *inimici* ad denominationem

non *inimici*, sine vlla prævia dispositione: qui dispositio quam adversarij vnicè requirunt esset retractatio peccati commissi: ergo per absolutam potentiam potest homini remitti peccatum sine tali retractatione.

Dices, hæc vera esse loquendo de dispositione physica, non verò de dispositione morali, que sit motivum alliciens ad præstandam misericordiam, à qua exhibenda semper aliquo modo tardat peccatum præteritum necdum condonatum, quatenus hominem reddit indignum eam misericordiâ & beneficio. Sed contra. Quæ absque omni motivo creato, sufficit Deo hæc intrinseca infinita bonitas in ratione motivi ad sublevandam quamcumque miseriam. Denique vis resistendi quæ inest peccato (nostro concepti modo, nam, ut in i. lib. dictum, nullius creatura existentia habet verè rationem moralem quod Dei decretum, cum simplicitas Decreti vini nullam admittat virtutem dilutionis, nec præsupponat visionem vllius creature) finita & limitata, Bonitas autem Dei & infinita inclinatio ad miserendum, est infinita, adeoque potens superare omnem resistentiâ præteritam, fertim cum peccatum semper sit aptum condonari ad majus bonum inde elicendum, & vnde, ut Deo permitti possit, sicut ergo ejus resistentiæ, quæ movet ne permittatur fieri, vincitur ab illa boni quæ ex ejus permissione elici possunt, ita ejus resistentiæ ne condonetur vinci potest ab illa boni, quæ ex gratuita condonatione elici possunt.

920. Obijciunt 1. & principaliter. Tandem manet peccatum habituale (de hoc enim est præfens questio) quamdiu manet peccatum præteritum habitualiter voluntarium: atqui tantum manet habitualiter voluntarium peccatum præteritum, quamdiu non retractatur: ergo tantum manet peccatum habituale seu peccatum præteritum in ratione peccati habitualis, quamdiu non retractatur: ergo ad peccati destructionem essentialiter requiritur retractatio: ergo sine hac per nullam potentiam fieri potest.

Hujus argumenti infirmitas ostenditur eo quòd nimium probet. Probat enim 1. quòd retractatio esset pars formæ justificantis: quæ formaliter opponitur peccato, si vera est eorum argumentatio, quòd etiam observavit Lugo & Elparza q. 11. *de Justif. in fine vlt. probat.* Probat. 2. Quòd quæcumque retractatio esset alliciens ad destruendum peccatum habituale, independentem ab omni infusione Gratiæ, vel condonatione extrinseca, vel Sacramento. Nam contra retractatio tollit rationem voluntarij habitus peccati præteriti. hæc autem ratio voluntarij habitus peccati præteriti, per te est ipsa essentia peccati habitualis, saltèm inadæquatè: ergo hæc sublata est facta saltèm inadæquatè essentia peccati habitualis, atqui quando aufertur etiam inadæquatè essentia rei, est simpliciter sublata essentia: ergo per quæcumque retractationem, esset destructum peccatum habituale.

Ad objectionem respondet P. Esparza, posse supernaturaliter fieri, ut cesset atque revocetur habitualiter prior ratio Voluntarij, Deo infundente habitum impossibilem cum repetitione ac rati habitatione actus prateriti, & perfectè dispositivum animi ad actum contrarium, quoties occurrerit occasio deliberationis & electionis similis, perinde ferè acsi elicitus esset actus contrarius priori; ac proinde supernaturaliter fieri potest, ut non perseveret absolute prior voluntarietas habitualis, ad cuius videlicet conceptum adequatum pertinet non solum actus prateritus, ut prateritus, sed etiam ut nihil addit de presenti actualiter vel habitualiter illi contrarium, & impossibile ratione suæ perfectionis ac bonitatis cum repetitione & approbatione actus mali qui praterijt. Porrò jam priùs dixerat, illum habitum quem Deus infunderet, & qui per suam inclinationem tolleret rationem Voluntarij, aliud non esse quàm gratiam sanctificantem.

921. Hæc responsio mihi non probatur. Primò, quia hic Auctor supponit sententiam à nobis rejectam in secundo libro, peccatum mortale non posse remitti per condonationem extrinsecam. Secundò sic argumentor. Gratia sanctificans non inclinatur habitualiter tali modo in obiectum contrarium peccato praterito, sicut peccatum illud inclinatur ad similem actum, actus enim nostri causant habitus ita facilitantes, ut hæc facilis cadat sub experientiam, presentia autem Gratiæ non cadit sub experientiam: unde etiam, postquam Deus infudisset peccatori Gratiam sine retractatione, adhuc maneret ille homo experimentaliter eodem modo inclinatus ad malum, adeoque adhuc maneret illi peccatum prateritum habitualiter voluntarium, si hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quàm inclinatio relicta ab actu. Et hoc videtur ipse auctor advertisse dum dixit, quòd ferè eodem modo inclinet gratia in contrarium, sicut inclinaret actus retractativus peccati. Sed quæso, quid est: ferè sic inclinare? ego dico, esse simpliciter non inclinare, sicut ferè tangere, est simpliciter non tangere, sed aberrare.

Aliter ergo respondendum est, negando majorem. Pro cuius falsitatis evidentia distinguendum est inter hæc duo: Peccatum prateritum perseverare habitualiter: & peccatum prateritum perseverare habitualiter voluntarium: quæ quidem sunt phrasæ theologice verborum tenus valde similes, sed quoad significationem diversissimæ. Peccatum prateritum habitualiter perseverare, aliud non est, quàm perseverare in aliquo fundante iustum Dei odium propter peccatum prateritum, quod quidem, saltèm partialiter, est vel negatio condonationis divinæ, vel negatio Gratiæ, pro diversitate Sententiarum, de quâ quæstione dictum est lib. 2. Peccatum autem perseverare habitualiter voluntarium, aliud non est, quàm quòd hoc ipso quòd non sit retractatum, detur probabile fundamentum, quòd si ille homo denuò

deberet in simili occasione peccandi operari, iterum operaretur, sicut priùs, quia verisimile est, quod ultimum placuit, iterum placitum fuisse, si daretur eadem occasio, & eadem circumstantia: adeoque hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quàm negatio retractationis. Neque arguit de presenti vltimum actum peccaminosum absolute existentem, sed tantum sub conditione, si redirent eadem circumstantia: imò hunc ipsum actum futurum non arguit nisi probabiliter.

Dicimus ergo, quòd sicut peccatum prateritum in ordine ad odium Dei potest perseverare in ratione peccati habitualis, quin sit amplius habitualiter voluntarium, quia non omnis retractatio tollit peccatum habituale, ut apud omnes certum est, & de fide quidem, ita econtra possit per absolute potentiam manere habitualis voluntarietas peccati, & tamen tolli reatus culpæ per divinam condonationem, adeoque desinere peccatum habituale, quin desinat peccatum prateritum in ratione voluntarij habitualiter.

Declarat rem totam exemplo aptissimo Cardin. de Lugo. Qui fecit votum, contrahit obligationem voti, & in hac obligatione perseverat votum habitualiter: praterea etiam tamdiu perseverat habitualiter voluntarium, quamdum non retractatur. Porrò hæc secunda perseverantia desinere, si hominem voti pœniteret, nec tamen propterea desinere prior perseverantia, alioquin esset in hominis potestate liberare se ab obligatione voti. Siò dicimus posse desinere peccatum in ratione habitualiter voluntarij, quin desinat in ratione peccati constituentis hominem reum odij, Jam econtrario potest etiam desinere perseverantia voti quoad obligationem, quin desinat perseverantia in ratione Voluntarij. Posset enim Pontifex dispensare in illo voto, incio vovente, & sic non amplius obligaretur: & tamen potest illi homini votum non displicere, sed adhuc ita comparatus esse, ut in iisdem circumstantijs iterum voveret. Eodem modo dicimus posse per condonationem desinere reatum culpæ, quin desinat esse habitualiter voluntarium.

922. Obijcitur 2. Conversio ad aliquid non potest tolli nisi per aversionem: atqui creatura per peccatum se convertit ad creaturas: ergo non potest tolli peccatum nisi per aversionem à creatura: sed non potest averti nisi per retractationem: ergo, &c. hoc argumento probatur, non posse tolli peccatum, nisi per contritionem perfectam. per peccatum enim homo se convertit ad creaturam, & ad seipsum, constituendo se pro fine *CVI*. ergo hæc conversio non potest tolli nisi per aversionem à creatura, & à se, ut fine *CVI*. sed per solam perfectam contritionem hoc modo se averteret à creatura, constituendo Deum pro fine *CVI*. Ergo, &c. hoc ergo: Sicut per Sacramentum Pœnitentiæ suppletur defectus perfectæ aversionis à creatura in ratione finis *CVI*, & ideo dicitur homo per Sacramentum fieri ex attrito æquivalenter contritus, ita per condonationem

tionem Dei sine vlla retractatione fieri potest homo ex non contrito æquivalenter contritus.

Objicitur 3. Quamdiu homo est maculatus, tamdiu adhuc habet peccatum: sed quamdiu non retractat, tamdiu est maculatus: ergo quamdiu non retractat, tamdiu habet peccatum. Minor probatur. Quamdiu homo est habitualiter aversus à regula conscientia, nempe à recta ratione, & à lege naturæ, tamdiu est maculatus: sed quamdiu non retractat peccatum, manet habitualiter aversus à regula conscientia: ergo tamdiu est maculatus. *ꝛ.* negando minorem. ad probationem nego majorem. Nam *τὸ esse habitualiter aversum*, à regula rationis, aliud non est, vt diximus, quàm probabilitas, quòd si redirent eadem circumstantia, iterum averteretur: adeoque est tantùm peccatum sub conditione probabiliter futurum: peccatum autem sub conditione futurum non est macula de presenti, vt constat.

Objicit P. Amicus 4. Tridentinum *Seff. 6. c. 7.* dicit, Justificationem adulti fieri per voluntariam susceptionem Gratiæ: ergo susceptio Gratiæ non voluntaria, erit insufficientis ad justificationem. Confirmatur. Quia peccatum etiam habituale intelligitur tale per dependentiam & respectum quendam dependentiæ liberæ & voluntariæ ejusdem peccati à voluntate peccatoris: hujusmodi autem respectus dependentiæ voluntariæ peccati à voluntate peccatoris, non potest tolli per vllam formam, nisi sit voluntaria ipsi peccatori, vt retractet & deleat dependentiam peccati à voluntate tanquam forma contraria similiter voluntaria. *ꝛ.* Concilium loqui de Justificatione prout defacto fit, quatenus in illa Deus attendit etiam mensuram dispositionis prævia, cui tamen mensuræ nemo facile dixerit Deum esse indispensabiliter alligatum. Ad Confirmationem patet responsio ex paulò antè dictis, nempe, confundi, *τὸ Habituale*, &, *Habitualiter voluntarium*. & quomodo nimium probet, patet ex responsione ad primam objectionem.

Objicitur 5. Si Deus potest sine vlla retractatione condonare peccatum habituale, poterit etiam condonare peccatum actuale pro tempore quo actu fit: consequens est absurdum, quia sic homo esset simul peccator & justus, quia condonatio est forma constituens hominem justum saltem negativè, hoc est, non injustum, peccatum actuale est forma constituens injustum.

Card. de Lugo *d. 7. s. 8. n. 126.* respondet, sibi verisimilem esse sequelam. Vnde infert 1. quòd dum ponitur peccatum, Deus quidem odio haberet peccatum, non tamen ipsum peccantem, quia jam cessisset jure suo. Infert 2. quòd tunc Petrus per tale peccatum amitteret nihilominus gratiam, ideo, quia, juxta hunc auctorem, gratia nec divinitus est conjungibilis cum peccato. Non esset tamen inimicus Dei, licet esset peccator, adeoque esset simul peccator, & negativè justus, hoc est, non odibilis proximè, quia peccatum esset condonatum.

Hæc doctrina semper mihi summe diffusa est visa, tum quoad ipsam substantiam, tum quoad doctrinæ consequentiam, quam videret hic tantum deferere, quod adverti alibi, nunc vero idem vertisse video Card. Pallavicinum de Periculis & patebit paulò post.

Quod attinet ad Objectionem præsentem responsio est facilis, negatur enim sequela de peccatis: Disparitas insinuat in ipsa objectione. Peccatum actuale præsens, est forma adæquate reddens hominem injustum: ergo mirum non est, quòd non possit stare cum forma adæquate reddens negativè justum, hoc est, non injustum, alioquin simul esset forma & negatio. At vero peccatum habituale includit vltra peccatum præsentem etiam negationem condonationis de præsentem: hæc negatio est pars formæ denominantis habitualiter injustum: atqui per condonationem tollitur formaliter negatio condonationis: ergo tollitur pars constitutiva peccati habitualis, & forma denominantis injustum: ergo desinit habitualiter injustus, & fit negativè justus: ergo in hoc casu non conjunguntur formæ oppositæ, licet in tali priorè. Sed nunc de veritate consequentis vitemus.

CONTROVERSIA III.

Verum Deus possit remittere peccatum pro tempore quo committitur.

923. Post Lugonem affirmavit Ripaldè *cap. 1. de ente supernaturali disp. vlt. sct. 27. n. 4.* quos nuper secutus est R. Hispanus. Negativam defendit Suarez *lib. 7. de Gratiâ. c. 2. n. 1.* Amicus *hic d. 32. n. 49.* Dicastillo *tr. 8. disp. 1. d. 1. c. 7. à n. 311.* Pallav. Cum quibus & ego sentio.

Probo Conclusionem 1. Si posset peccatum condonari pro instanti quo committitur, posset Gratia Sanctificans conjungi cum peccato mortali in illo instanti quo committitur. consequens non admittit Lugo, neque nos, Ergo &c. Supra probatur ex principijs ipsius Lugonis. Vnde causa, quare Gratia Sanctificans non possit conjungi cum peccato habituali (& multo minus cum actuali) secundum Lugo est hæc, quia Gratia, vt habet Tridentinum, est unica & adæquata forma justificans. atqui si posset conjungi cum peccato habituali, non esset forma adæquate justificans, nam tunc quando conjungeretur cum peccato habituali, talis homo adhuc esset inimicus Dei, & in visis Deo, quia peccatum habituale constituitur per negationem condonationis: quòd tam diu peccatum non est condonatum, homo est inimicus Dei & odio dignus, adeoque non est justus. ergo non habet formam adæquate justificantem: ergo Gratia non esset forma adæquate justificans, sed complenda esset per condonationem contradistinctam à collatione Gratiæ, si collatio Gratiæ est separabilis à condonatione, & conjungibilis cum negatione condonationis. Ita Lugo & c.

& nos cum illo in tract. de Gratia. Sed hinc contra illi subsumitur hoc modo. atqui si homini dum actu peccat condonaretur peccatum, tunc homo non esset inimicus Dei, nec Deo in visus, vt in terminis fatetur Lugo loco cit. ergo si tunc illi conferretur Gratia, non conjungeretur Gratia cum negatione condonationis, nec cum inimicitia: ergo nihil obstat quo minus tunc posset conferri gratia, & sic conjungi cum peccato actuali. Probatur hæc vltima consequentia. ideo enim non potest Gratia conjungi cum peccato habituali, quia condonatio non potest dari, quando datur peccatum habituale, nam negatio condonationis est pars constitutiva peccati habitualis: atqui per te condonatio potest dari quando datur peccatum actuale: ergo nihil amplius obstat, quo minus possit conferri gratia.

Brevius sic proponitur hoc argumentum. Vnica causa, quare Gratia non possit conjungi cum peccato habituali, est hæc: quia talis homo esset simul iustus & iniustus: iustus propter gratiam, iniustus propter peccatum habituale: atqui si peccatum actuale posset, dum actu existit, condonari, talis homo non esset iniustus aut inimicus, vt docet Lugo: ergo si illi daretur gratia, non sequeretur quod simul esset iustus & iniustus: ergo nulla esset ratio, cur non posset infundi gratia.

Adhuc aliter hoc ipsum proponi potest. Ideo per te Gratia non potest conjungi cum peccato habituali, quia peccatum habituale includit essentialiter negationem condonationis, Gratia autem non potest conjungi cum negatione condonationis: atqui per te peccatum actuale non includit essentialiter negationem condonationis, quia potest conjungi cum condonatione: ergo etiam potest conjungi cum Gratia.

Respondebis fortè, supponendo cum Recentiore Hispano (à qua tamen doctrina procul abest Lugo) Gratiam quæ defacto datur, esse quidem inconiungibilem cum peccato actuali, esse tamen possibilem aliam Gratiam, quæ quidem etiam sit inconiungibilis cum peccato habituali, sit tamen coniungibilis cum peccato actuali. Sed contra. si non est alius modus respondendi, quàm confugiendi ad huiusmodi Gratiam, salva res est: nam ego talem possibilem Gratiam non agnosco, quamdiu mihi non ostenderit illud prædicatum primum, ex quo resultet hoc prædicatum secundum: posse conjungi, non posse conjungi cum peccato actuali. Censeo enim argumenta quæ probant, nostram Gratiam non esse coniungibilem cum peccato actuali, probare de omni possibili Gratia Sanctificante, vel de nulla probare.

924. Probo Conclusionem 2. Tunc non potest dari condonatio, quando non posset poni satisfactio si alioquin illa in se possibilis esset: sed in instanti quo ponitur actu peccatum, esset impossibilis satisfactio, etiam si alioquin possibilis esset: ergo, &c. Major & minor est probanda. Major ergo probatur. quia condonatio est virtualis remissio satisfactionis, & loco illius substitui-

tur. Minor verò probatur, quia Satisfactio includeret retractationem formalem vel virtuales: hæc autem non est coniungibilis cum actuali peccato; sicut restitutio non est possibilis pro instanti furti, sed pro sequenti, & ideo non potest remitti pro instanti furti, sed pro sequenti. Ergo sicut satisfactio non potest fieri, nisi transacto peccato, ita condonatio non potest respicere nisi tempus post peccatum commissum.

Probatur Conclusio 3. argumento Card. Pallavicini. Si potest condonatio conjungi cum actuali peccato mortali, sequitur, quod esset, & non esset peccatum mortale. Quod esset mortale, supponitur ab adversarijs; quod non esset, probat Pallavicinus, quia essentia peccati mortalis in eo consistit, quod quis voluntariè avertatur à Deo, & propter bonum creatum velit contemnere amicitiam divinam: talis autem homo si sciret sibi iam antecedenter condonatum esse peccatum, etiam hoc ipso sciret, se non incursum inimicitiam Dei: ergo sciret se non peccare mortaliter. Omitto alia argumenta, quæ videri possunt ad longum apud P. Dicastillo, quæ sanè non sunt mera verba multiplicata, vt videtur cuidam Recentiori.

925. Restat solvendum argumentum Cardin. de Lugo, quo probat, posse peccatum remitti in eodem instanti quo committitur. Probat autem vnicè à paritate desumpta ex hominibus. Homo potest homini dimittere injuriam antecedenter, antequam ab adversario committatur: ergo etiam Deus potest hoc modo dimittere offensam. Antecedens patet. quia homo potest se obligare alteri, quod nolit pro offensa illi irasci aut petere satisfactionem, &c. 82. Transeat antecedens (cujus falsitatem postea ostendam) nego consequentiam & paritatem. Disparitas duplex est. prima, quia per offensam humanam homo offensus non necessitatur ad auferendum ab homine, vel denegandum homini aliquod donum impossibile cum ipsa offensa, tribuens jus ad amorem amicabilem, sicut Deus necessitatur ad auferendam vel negandam gratiam pro instanti quo ponitur offensa secundum suam physicam entitatem. Secunda disparitas est, quia homo potest se homini obligare ex iustitia, ad non prosequendum illum odio, & ad non exigendam satisfactionem quacunque offensa posita: Deus verò non potest se homini obligare vlllo modo ex Iustitia, vt docet ipse Lugo. Quapropter respectu hominis ad æquatum motivum licite aversionis non est sola offensa secundum suam physicam entitatem, sed offensa cum negatione obligationis non habendi odio Petrum propter offensam, sive, quod idem est, offensa cum negatione juris in Petro existentis ad resistendum Paulo offenso ne Satisfactionem exigit. Vnde si Paulus se obligasset ad non petendam Satisfactionem, posita deinde offensa non posset eam exigere, quia peccaret contra Iustitiam exigendo. Deus verò non potest obligari creaturæ: ergo

ejus jus ad legitimum odium & denegandam Grati-
am, atque exigendam poenitentiam, non potest per ta-
lem obligationem auferri, & ideo semper manet
jus ad odium, & est adæquatè identificatum cum
ipsa physica entitate offensæ. Verùm

Dixi: *Transfert antecedens*: in rei veri-
tate id etiam falsum est. Nam obligatio, quæ
se Paulus obligaret Petro ad non habendum odio,
nec exigendam satisfactionem, propter offensam,
non est (proprie loquendo) condonatio offensæ;
quia condonatio injuriæ proprie sumpta est mora-
lis destructio injuriæ seu offensæ: atqui in no-
stro casu proprie existeret offensæ: ergo non esset
condonata, tamen non liceret exigere satisfactio-
nem; hæc enim sunt separabilia, ut omnes fa-
tentur: v. g. qui solvit Usurario usuras cum ju-
ramento non repetendi, non potest licitè repe-
tere, & tamen alter tenetur reddere, & non red-
dendo peccat contra Justitiam.

926. Dices. Potest Paulus antecedenter
ad offensam non tantum obligare se ad non pe-
tendam satisfactionem, sed etiam potest cedere
jure suo quod habet, ne à Petro percutiatur: at-
qui saltem hæc erit proprie condonatio injuriæ:
ergo hoc modo posset etiam Deus antecedenter
cedere jure suo. Respondeo negando minorem
& suppositum: nam tali casu percussio non esset
injuria nec contra Justitiam, quia consentienti,
seu nolenti alterum habere obligatum, non fit
injuria: hæc ergo cessio non esset remissio aut
condonatio (ut male supponunt adversarij) in-
juriæ, sed esset sublatio partis constituti-
væ injuriæ, quia Injuria constituitur intrinsicè per volunta-
tem alterius obligativam, ut dicam in tr. 1. de Ju-
re & Justitia. Itaque talis cessio Juris non esset
sublatio tituli ad offensam, sed potius esset muta-
tio materiæ, hoc est, faceret, ut id, quod alioquin
esset injuria, non esset injuria, sicut facit licen-
tia facta famulo, ut auferat pecunias. Quæstio
autem præsens est, an Deus posset remittere offen-
sam pro instanti quo verè existeret offensæ, & hoc
negamus fieri posse, & dicimus, quod potius esset
rectio seu non imputatio (ut loquuntur hæretici)
quam remissio pro instanti quo existit. Potest
quidem etiam Deus aliquam actionem alioquin
illicitam reddere licitam, dispensando in lege, ut
dixi lib. 2. sed hoc non est condonare injuriam, sed
est facere, ut objectum quod alioquin esset illicitum,
non sit illicitum, & ejus electio esset confor-
mis rationi.

CONTROVERSIA IV.

*An Pœnitentia iustificativa sit necessa-
ria ex præcepto naturali.*

927. CERTISSIMA est omnium Theologorum con-
tra Victoriam sententia, ex stare præceptum
pœnitentiæ salutis seu iustificativæ, præscin-
dendo nunc à præcepto naturali & positivo, & e-
tiam præscindendo à Contritione perfecta siæ sa-

cramento, & ab attritione cum Sacramento. Et
quidem communiter Theologi censent esse
præceptum divinum in Scripturis, quod in
Deus indicat necessitatem Pœnitentiæ, excepto
Arragâ, qui putat, illis textibus plus non probari,
quàm necessitatem mediæ. Quidquid sit de
præcepto positivo divino

Dicendum est, dari præceptum naturale
tèd pro mortis periculo, pœnitendi salutem, ut
quis sibi conscius est peccati mortalis. Pœnitentia
Pœnitentia est necessaria necessitate mediæ, scilicet
ex ordinatione Dei: ergo tenemur lege naturæ
hoc medium procurare. Antecedens præceptum
est. Consequentia probatur. Nam lege naturæ
tenemur procurare ultimum finem ad quem cre-
diti sumus: atqui obligatio ad finem obligat
ipso ad media necessaria ad finem: sicut violentus
efficax finis, est hoc ipso voluntas mediorum ne-
cessariorum ad illum: ergo datur obligatio scilicet
ex charitate erga seipsum procurandi hoc medium,
quando & quatenus est necessarium.

Dixi. Saltè ex charitate erga seipsum
nolo disputare, an si Deus gratis condonaret
pœnitentiæ, adhuc daretur obligatio naturalis ex re-
verentia & amore erga Deum retractandi peccatum,
licet hæc retractatio tunc non esset medium ad ius-
tificationem procurandam.

928. Quæres. 1. Quo sensu dixerit S. Tho-
mas 2. 2. q. 14. a. 2. Impœnitentiam, peccatum
lùm est permanentia in peccato usque ad mor-
tem, non esse speciale peccatum, sed circumstan-
tiam peccati. 2. Aliquos ex hoc loco voluisse
concludere, in sententia S. Thomæ voluntatem
non pœnitendi usque ad mortem non esse speciale
peccatum, distinctum à speciebus ceterorum pec-
catorum: sed malè. Nam eodem loco statim ob-
dit, impœnitentiam prout est propositum non
pœnitendi, esse speciale peccatum. Et in 3. q. 84.
a. 7. ad 1. 2. disertè tradit, esse
præceptum naturale pœnitendi. Porro veræ
sunt interpretationes illius prioris dicti, quo-
modo sit sola circumstantia alioquin peccatorum,
quæ videri possunt apud Suarez, Lugo, Arragâ
Mibi præ omnibus placet interpretatio Lugonis,
quam etiam amplectitur Pallavicinus, eo modo
permanentiam esse circumstantiam peccati, licet
perseverantia in actibus virtutum est mera cir-
cumstantia, juxta eundem S. Thomam in 2. 2. q. 43.
a. 3. ad 3. Nempe accipiendo perseverantiam
pro actuali continuatione & duritione
actûs.

929. Quæres. 2. Quo sensu dicatur pro-
positum non pœnitendi esse speciale peccatum,
& quidem contra charitatem sui ipsius, quoniam
quidem hæc videatur esse malitia generalis, non
scilicet omnia peccata mortalia: nam omnia
sunt contra charitatem sui, dum hominem
sunt contra charitatem sui, dum hominem
ponunt periculo æternæ damnationis, & ob-
tinent mortem spirituales animæ, privando
gratiâ sanctificante. 2. Dicit esse in hoc præ-
cepto opiniones contrarias, quarum tamen una

men huc non spectat, & neutrius veritas præjudicat nostræ conclusioni. Prima docet, omne peccatum mortale habere totam illam speciem malitiæ, quam habet propositum expressum nunquam penitendi, scilicet malitiam contra charitatem sui, obligantem ad procurandam animæ salutem. Ità Vasquez. Contraria sententia communior est, non singulis peccatis mortalibus inesse illam malitiã contra charitatem, nam licet singula exponant aliquali periculo remoto, non tamen proximo moriendi sine penitentiã, sicut exponit voluntas nunquam penitendi. Quemadmodum etiam non est contra charitatem sui, exponere suam vitam aliquali periculo v. g. per longam navigationem etiam recreationis causã, & tamen esset contra charitatem exponere se periculo proximo & moraliter inevitabili, ut pluribus ostendit Arriaga, dissolvens rationes dubitandi, allatas à Lugone pro sententiã Vasquez.

Cæterum etiamsi vera esset sententiã Vasquez, nihil pugnaret contra nostram Conclusionem. Nam sicut Inobedienciã v. g. est malitiã transcendens omnia peccata mortalia, & tamen qui eliceret expressum propositum non obediendi Deo, peccaret peccato Inobedienciã, & deberet hoc peccatum explicare in Confessione, quamvis non teneatur explicare inobedienciã contentam in alijs peccatis, itã se res haberet in nostro casu, & hoc sufficit, vt dicatur extare præceptum naturale penitendi.

CONTROVERSIA V.

Pro quo tempore sit Penitentia necessaria ex præcepto naturali.

910. Imprimis certum est, ad minimum obligare in articulo mortis, vt patet ex dictis. Deinde certum est, per accidens obligare quandoque extra mortis periculum, vt si quis vellet sumere Eucharistiã, vel gravis vrgeret tentatio aliter non superabilis. Nunc quaritur, quandonam obliget ex natura rei. Et primùm quidem dubitatur, an præceptum salutaris penitentiã obliget statim post commissum peccatum. Secundò an extra articulum mortis. Tertio, an saltem obligemur ad aliquam retractionem toties quoties occurrit memoria peccati.

§. I.

An Præceptum naturale Penitentiã salutaris obliget statim post commissum peccatum.

911. Affirmant Guilielmus Parisiensis, Major, & quidam alij. Sed Respondendum est cum cæteris negativè. Probatur à Suarez & Lugone quasi à priori. Præcepta affirmativa non obligant statim, nec semper sicut negativa: sed præceptum Penitentiã est affirmativum: ergo.

Hoc argumentum tanquam inefficax merito rejiciunt Arriaga & Pallavicinus. Nam licet spectatis verbis videatur affirmativum, putant tamen adversarij, suis argumentis probari, quòd quoad vim obligandi non minus sit negativum, quàm præceptum restituendi ablatum, quòd quidem etiam spectatis verbis apparet affirmativum, & tamen obligat statim. Ratio autem hujus est, quia affirmatio cadit supra actionem quæ debet tollere effectum ex peccato relictum, cujus continuatio semper est mala & prohibita, videlicet retentio rei alienæ: supra hanc ergo cadit præceptum negativum: *Non esse retinendum alienum.* Pari modo dicerent adversarij, præceptum penitendi præcipere quidem actionem positivam, sed quæ debeat tollere aliquod malum cujus continuatio semper prohibetur, scilicet inimicitiam cum Deo & periculum animæ, seu reatum æternæ damnationis.

Melius ergo probatur responsio 1. à posteriori: quia talis obligatio est contra sensum fidelium, & contra praxin Ecclesiæ, quia nemo se de hoc peccato accusat, nemo præter paucos illos nominatos agnoscit malitiam in hoc, quòd non statim post peccatum procuraverit Contritionem perfectam etiam cum possit. Confessarij etiam non interrogant de hoc peccato penitentes: non est autem credibile, in Ecclesia existuram esse talem ignorantiam apud animatum pastores, circa obligationem perpetuò occurrentem, cerè hoc non potest prudenter de Christi providentiã præsumi. Hic sensus fidelium deprehenditur etiam ex eo, quòd sine vlllo scrupulo accedant ad Sacramentum penitentiã non præmissã perfectã contritionem, contenti attritione, quòd fieri non posset, si agnoscerent obligationem statim eliciendi contritionem, vt consideranti liquet.

912. Probatur denique à priori, & ex generali regula agnoscendi obligationes naturales, quã jam aliquoties in alijs materijs vsus sum, & eadẽ hinc vtitur P. Ant. Perez, Pallavicinus & Esparza. Ad hoc vt censeatur aliqua actio esse sub præcepto naturali, non est satis, quòd illa actio plus boni afferat secum, si fiat, quàm afferat omisio illius actionis: si enim ad hoc solum attendendum esset, nihil esset merè sub consilio, sed omnia sub præcepto, v. g. status religiosus esset sub præcepto, quia per se loquendo plus boni affert quàm status secularis. sed insuper & principaliter observandum est, an ipsa obligatio, siue, hoc ipsum quod est, obligari, plus boni sit allaturum toti generi humano, quàm rò non obligari. Ratio est, quia potest actio aliqua esse quidem allativa magni boni, sed tamen simul esse adeo difficilis, vt spectatã fragilitate & communi propensione hominum, rarissimè fiat, & longè frequentius omittatur, & quidem sit adeo difficilis, vt ne quidem accedente obligatione impediretur illius raritas, sed adhuc longè excederet omisio, adeoque obligatio esset ansa innumerorum peccatorum, & insuper rarissimè obtineret suum finem; consequenter esset

pernitiosa, & melius esset non obligari. Et quidem hoc longè clariùs procedit in illa obligatione, cujus finis esset recuperare amicitiam cum Deo, & tamen actio præcepta esset adeo difficilis, ut non obstante præcepto plerùmque omittetur, adeoque multiplicarentur potiùs peccata per transgressionem illius præcepti, & augetur magis inimicitia; talis obligatio esset manifestè contraria suo fini. atqui tale esset præceptum naturale obligans ad salutarem pœnitentiam statim post peccatum: ergo non datur talis obligatio. Minor probatur. Nam difficillimum est statim ex altissimo motivo Charitatis retractare id quod immediatè antè placuit, ut consideranti patet, & bene confirmat Pallavicinus, qui enim non exstimulatur (inquit) ad pœnitendum ex periculo in quo manet propter peccatum præteritum, vix movebitur ex timore peccati futuri seu de novo committendi contra obligationem pœnitendi: ergo talis qui immediatè peccavit, communiter non est dispositus, ut ab eo sperari possit cum aliqua magna probabilitate, acturum pœnitentiam, si obligaretur, ergo communiter illa obligatio esset potiùs anfa novorum peccatorum, quàm serviret ad finem intentum.

933. Objicitur 1. Sicut se habet perseverantia in bono ad specificandum actum bonum, quo dico: Volo perseverare in bono acquisito; ita se habet Perseverantia in malo ad specificandum actum malum, quo dico: volo perseverare in malo: atqui talis voluntas esset, quàm dicerem: nolo adhibere media deletiva peccati: ergo talis actus est malus. R. Comparisonem hanc in vno sensu procedere, in alio non procedere. Procedit in hoc sensu, quòd sicut est bona continuatio actus boni virtuosus, ita sit mala continuatio actus mali: neque de hoc est controversia. Non autem procedit in alio sensu, quòd sicut est bonum & laudabile, velle perseverare in bonis qua consecuta sunt ad actum bonum præteritum, scilicet, in jure ad præmium & laudem, in gratia acquisita, &c. hoc est, nolle de novo peccare, & sic illa bona destruere, quòd inquam ita etiam sit malum, velle nihil ponere destructivum peccati commissi quoad effectus reliquos. Ideo enim illud primum est laudabile & bonum, quia sive loquamur de actu exercito perseverantia in ratione Virtutis, sive de actu signato, semper evincitur esse actus virtutis: nam in actu exercito est formaliter ipsissima observatio aliorum præceptorum, ad quæ observanda obligor independentè ab actu bono præcedente, & hoc utique est laudabile: loquendo de actu signato seu reflexo, ille pertinet ad virtutem Perseverantia, quæ intendit honestatem in victoria difficultatis, quæ est in duratione temporis. Jam econtrario qui in actu exercito non agit Pœnitentiam, si hoc fiat per actus oppositos alijs præceptis, quæ existerent etiam si nullus actus peccaminosus præcessisset, utique hoc est malum, nec de hoc procedit objectio. Loquendo verò de actu signato, non pro-

cedit paritas cum actu perseverantia in bono quia facilitas perseverandi sine pœnitentia non est apta refundere malitiam in actum, sicut difficultas perseverantia in bono est apta refundere bonitatem; alioquin sicut, quòd est major difficultas, ita est major bonitas, ita ex altera parte quòd est major facilitas & proclivitas ad peccandum, est esset majus peccatum, quòd adeo est fallax, ut potiùs minuatur malitia. Itaque non procedit in hoc paritas, quia nos offendimus in præcedente Conclusionis, quòd nimia facilitas, & quantitas realis necessitas non statim pœnitendi, magis potiùs non præcipi quàm præcipi pœnitentiam econtra verò perseverantia in bono debet esse sub præcepto, alioquin malum fieret licitum, quòd in terminis repugnat. Cæterum in hoc etiam est aliqua paritas, quòd sicut perseverare in bono usque ad mortem, est præceptum, & bonum, ita perseverare in impœnitentia usque ad mortem, inclusivè, est malum & prohibitum, & esse actus peccaminosus quo post peccatum commissum dicerem: nolo pœnitere toto vite tempore: aliter tamen non sequitur esse actum peccaminosum quo dico: Nolo pœnitere nunc.

934. Objicies 2. Qui commisit peccatum Infidelitatis, tenetur statim elicere actum dei, quo, ex probabili Sententia, etiam statim recuperatur habitus fidei, licet non recuperetur gratia: ergo etiam qui per peccatum amisit Gratiam (quæ est majus bonum quam habitus fidei) tenetur eam statim recuperare. R. transitur quo nunc id quòd supponitur in objectione, per actum fidei recuperari habitum fidei sine gratia (quòd lib. 2. negatum est) distinguo antecedens: tenetur elicere actum fidei statim obligatione proveniente ex peccato Infidelitatis præcedente, nego obligatione jam priùs existente, qua tenetur credere, quoties proponuntur motiva fidei, & ad elicendum actum moralis essentialiter pendens ab actu fidei, concedo antecedens, & distinguo consequens; teneor recuperare gratiam amissam, aliunde instet aliquod præceptum de procuranda statim Gratia (quòd per accidens fieri potest) concedo, per se & præcisè spectatà obligatione, proveniente ex peccato præcedente, nego consequens.

Ex eodem fundamento solvuntur plures hujusmodi objectiones, quas Lugo refert fulius: e.g. qui contraxit malum corporis, tenetur statim procurare sanitatem ex charitate sui: item ex charitate proximi tenemur ad correctionem fratrum: ergo multò magis ad curandum morbum amari propriæ, cum sit peior morbo corporis, & quilibet teneatur amare magis salutem propriam quam proximi. Responderet, inquam, in his exemplis, & nostro casu esse paritatem, si rectè applicentur, & ideo inde potiùs confirmatur nostra Sententia, si, ut volunt adversarij, est attendenda paritas. Sicut tunc solum teneor statim adhibere medicinam, quando est periculum, ne morbus sit incurabilis, aut impediatur alia actione præcepta, ita teneor delere peccatum, quando vel immo-

periculum, ne peccatum fiat indelebile per finalem impoenitentiam, vel quando status peccati impediret actionem aliam preceptam, v. g. sumptionem Eucharistiae. Item, sicut tunc solum teneor corrigere proximum, quando ex dilatione correctionis vel timetur relapsus, vel impoenitentia finalis, ita etiam teneor poenitere, si respectu mei alterutrum imminet.

935. Obijctur 3. Scriptura saepe minatur & praedicat gravia mala imminencia non poenitentibus, vt Itaiæ 65. Jerem. 8. atqui poena gravissima praesupponit culpam gravem: ergo non poenitere est culpa gravis. R. in illis locis per impoenitentiam intelligitur continuatio pravi affectus, vt colligitur ex contextu, additur enim: *faciebatis melam in oculis meis, & quae nolui, egistis* item: *omnes conversi sunt ad cursum suum.* Deinde Deus praedicat poenas temporales infligendas propter peccatum praeteritum, nisi deleatur per poenitentiam, adeoque poenitentia est medium impeditivum illarum poenarum, sed illa mala non sunt propterea poena impoenitentiae, alioquin esset etiam quandoque gravis culpa non poenitere de Veniali commisso, quod etiam saepe graves poenas temporales meretur. Imo quandoque Scriptura monet de malis imminentibus ex neglecto Consiliorum Evangelicorum, quae nullo modo sunt sub precepto, sic de divitiis dicitur, quod difficillime ingressuri sint: Caelum, & quod incidant in tentatione; & laqueos diaboli; quapropter huiusmodi etiam minae fieri possunt illis qui negligunt ad longum tempus poenitentiam, etiam non sit sub precepto, sed sub consilio; praesertim quando saepius a Deo excitantur ad poenitentiam, sed respiciunt vocantem Deum, quod est non sit peccatum, sicut non est peccatum non sequi vocantem Deum ad religionem (per se loquendo) pracludit tamen viam favoribus divinis majoribus, sine quibus invalescunt tentationes, & aliae difficultates in via salutis.

936. Obijctur. 4. Constat, multos mori morte repentina & nullo modo praevia, imo nec suspicabili: ergo homo semper est in periculo aliquo mortis: ergo si differat poenitentiam, semper se exponit alicui periculo amittendi salutem aeternam: atqui debet huiusmodi periculum declinare: ergo tenetur statim agere poenitentiam. R. Negando, quod illud periculum sit tantum, ut sit obligatio vitandi: non enim tenetur homo ad procurandam summam certitudinem suae salutis & status gratiae, & negationis periculi, sed sufficit moralis certitudo, & magna probabilitas, quod hic & nunc non sit eventurus talis casus. Quamvis autem multi repente moriantur, incomparabiliter tamen plures valentes & sani non ita moriuntur: ergo loquendo de vno homine particulari & sano, est moraliter certum, quod non morietur morte repentina nunc: & haec certitudo moralis sufficienter excusat ab obligatione nunc poenitendi. Sicut nemo tenetur procurare majorem certitudinem

quam moralem quod sicut baptizatus, etiam multi non cito baptizentur, & sic damnentur.

§. II.

An preceptum naturale Poenitentiae obliget solum in periculo mortis.

937. PRima sententia asserit, hoc preceptum obligare per se etiam, post aliquod tempus, licet non sit periculum mortis: quantum autem illud tempus sit, dicunt non posse vna regula omnibus communi determinari, sed attentis circumstantiis esse prudentis viri arbitrio taxandum. Conveniunt quidem AA. huius sententiae, infra annum non obligare, quod colligitur ex sensu Ecclesiae, non nisi annuam confessionem praecipientis: quantum vero sit ultra extendendum, non conveniunt. Lugo in fine h. 243. videtur extendere ad tres vel 4. annos. Arriaga ad annum tantum. Haec sententiam tenent Suarez, Conink, Lugo, Arriaga.

Secunda sententia negat hoc preceptum per se obligare extra articulum & periculum mortis. Ita Cajetanus, Durandus, Navarrus, Valentia, Vasq. Dicastillo, Esparza, Pallavicinus, & novissimè P. Antonius de Spiritu S. in Directorio Confess.

DICO Cum hac secunda sententia, in solo mortis periculo dari per se obligationem poenitendi ex precepto naturali. Probat 1. Quia ab adversariis nullum sufficiens & vrgens fundamentum pro ea asseritur, vt patebit. Probat 2. à Pallavicino. Quia preceptum poenitendi extra articulum mortis, adhuc esset noxium, eo ferè modo, quo foret noxium preceptum statim poenitendi post peccatum commissum. Nam qui non movetur ad poenitendum ratione peccati jam contracti, vix movebitur ad poenitendum intuitu peccati contrahendi per impoenitentiam post tres annos: nam quaecunque ratio ab adversariis afferatur ad ostendendum, quod post tres annos cessabit perniciem legis obligantis statim ad poenitentiam, illa ratio probabit, etiam cessare illam perniciem intra primum annum: atqui intra primum annum nolunt adversarij cessare: ergo non est ratio cur cesset postea. Certè qui poenitentiam agunt non expectato mortis articulo, vel moventur precepto Ecclesiastico, vel tadio priorum peccatorum, vel devotione ad certum sanctum aut festum diem: nemo enim ferè est fidelium, qui audiverit aliquid de precepto naturali poenitendi post duos annos: ergo non moventur ab hoc precepto. Et mihi indubitanter est, quod, si fidelibus omnibus constaret de veritate nostrae sententiae; quod inquam (secluso precepto Ecclesiastico) aequè multi poeniterent non expectato mortis articulo, atque modo poenitent: ergo signum est, quod non moventur probabilitate contrariae sententiae.

938. Ob-

938. **Objiciunt 1. Qui perseverat diu in peccato, constituitur eo ipso in periculo peccandi de novo, juxta illud Gregorij in Ezech. hom. 11. Peccatum, quod per penitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud: at qui obligamur præcepto naturali nos ponere extra periculum peccandi de novo: ergo obligamur ad penitentiam intra longum tempus, etiam secluso mortis articulo.** Hanc objectionem non facere ad rem, quia nos non negamus, quod casu quo homo perveniat ad illas circumstantias, in quibus advertat, quod nisi eliciat actum contritionis, vel recipiat sacramentum Penitentiae, sit ipsi moraliter impossibile vitare novum peccatum ad quod tentatur, sit obligatus penitere; sed dicimus hoc esse per accidens, sicut ipsi adversarij dicerent, si illæ circumstantiae evenirent intra primum annum. Itaque esto per se loquendo & communiter eveniant tales circumstantiae homini diu existenti in peccato habituali, quod tamen homo advertat ad illud temporis punctum, quo complectur talis longitudo, pro qua solent per se loquendo tales circumstantiae evenire, vel jam evenierint, est moraliter impossibile, & vix unquam contingit, & si contingeret esset per accidens.

Objicit Card. de Lugo 2. n. 234. Videtur necessitas penitendi saltem post longum tempus, etiam extra articulum mortis aperte colligi ex dignitate Dei offensi, in cuius contemptum redundare videtur, si quis adeo parum curet de reconciliatione cum Deo procuranda, & velit per totam vitam in ejus iniuriam perseverare. Constat enim non fieri absque principis indignatione & offensione, si post delictum in principem commissum, de oblata principis gratia & pace nihil curet, sed differat veniam petitionem & reconciliationem ad finem vitae. Deinde n. 273. ferè similia reperit: qui, inquit, Deum graviter offendit, si reconciliationem aut veniam negligat, videtur Deum ipsum offensum negligere & contemnere. R. Cum P. Dicastillo, totum hoc argumentum reduci ad vnum: *Videtur: & nos dicimus: non videtur.* Deinde cur videtur Deus contemni, si differam per tres vel quatuor annos, & non, si per annum? certè principes terreni putarent se contemni, si oblata gratia intra annum non acceptaretur: quod si tibi hoc non videtur, nec nobis post tres annos futurum videtur. Deinde est disparitas inter Deum & Principes terrenos. Principes terreni offenduntur tali dilatione, quia præsumunt vel suspicantur in offendente animum nunquam petendi reconciliationem, vel affectum quo ratificant delictum commissum, nec volunt agnoscere, se errasse: in Deo non habet locum præsumptio aut suspicio, & ipsi adversarij fatentur, ex nolitione penitentiae non rectè inferri ratificationem peccati præteriti.



An post peccatum commissum reneatur homo lege naturali ad peccatum statim retractandum, & deinde toties, quoties peccati memoria occurrit.

939. **Supponitur ad quaestionis resolutionem, quod homo possit meminisse peccati, et tamen liberè nec velle illud ratificare seu approbare nec etiam revocare seu retractare, eliciendo actum impossibilem cum illo affectu peccati.** Card. Pallavicinus tamen nobiscum sentit in precedentibus conclusionibus, in quaestionibus sumus de Penitentia justificativa, etiam c. 25. à n. 259. defendit, peccatorem statim ad peccatum teneri ad aliquam penitentiam imperfectam, quæ sit retractatio, & detestatio eius contemptus; & ait, eandem obligationem esse, quoties peccatum, quantumvis antea retractatum, memoriae occurrit. Quia verò ab Auctore, hanc doctrinam videri posse statim obnoxiam, addit, posse aliquem sequi sententiam contrariam probabilem, & requiri planè advertentiam.

DICO, non dari hujusmodi obligationem. Probatur Conclusio ipsius planè verbis, quæ ex ipso Pallavino priorem Conclusionem probavimus. Qui enim non movetur ad penitentiam de peccato præterito, vix movetur ad advertendum à futuro per neglectum attritionis: ergo lex esset noxia, quia esset potius occasio multiplicandorum peccatorum, quam taceantur ad delenda præterita.

Respondere videtur tacite Pallavicinum, simplicissimum esse retractare per attritionem, supposito quod homo nolit approbare peccatum. Et contra. Quia licet sit facilius elicere attritionem quam contritionem, non est tamen facilius post commissum peccatum retractare quodamque tandem modo; sanè hoc non tantum probat experientia, sed etiam supponitur à Theologis, qui in certis materijs suadent, ne quis citè & reflexè se examinet, quid esset factum illæ circumstantiae redirent, eò quod hoc sit periculosum. Præterea ipse Pallavicinus videtur hujus sententiae praxi magnam difficultatem agnoscere, alioquin cur diceret, posse aliquem vitandos scrupulos oppositam opinionem sequi, quando enim res est facilissima, non est magnum periculum scrupulorum, nec ratio recurrendi ad opinionem minus probabilem relicta probabiliore.

Denique huic sententiae etiam oblatæ sententiae praxis, quæ per suos Ministros neque ad retractationem hortatur fideles tanquam ad præceptam, nec Confessarij examinant penitentem an tali obligationi satisfecerint; debent esse examine, quia, ut Pallavicinus putat, hanc obligationem est ex terminis evidens, vel certè probabilior: debent ergo ministri supponere, etiam

pluribus innotuisse: deberent etiam ignorantes de hac obligatione instruere, quod tamen nemo facit. Quis enim penitentium plurima peccata enumeranti ausit dicere: scias te deinceps per totam vitam tuam graviter esse obligatum ad retractanda hæc tua peccata, quotiescunque memorie occurrerent, quis non videt, quæ anxietates, desolationes & perplexitates ex tali instructione nascerentur? Sed argumenta adversarij videamus.

940. Objicit Pallavicinus 1. aitque suam opinionem validè suaderi sic posse. quia pertinet ad dignitatem Dei, ut quoties occurrerit memoria, quod illum graviter offendimus, toties aversemur illam actionem. 2. Si adversarius vult dicere, quod Deus sit dignus tali averfione à peccatis, omnino sic pertinet ad dignitatem Dei, ut aversemur non tantùm commissa, sed etiam non commissa; si verò vult quod obligatio pertineat ad dignitatem Dei, Nego id pertinere, sicut adversarius ipse negat pertinere ad dignitatem Dei, ut quis statim peniteat justificativè. audiamus ipsam Pallavicinum loquentem n. 257. [Talis, inquit, obligatio vix esset pro dignitate Dei: exponeret quippe illum innumeris & ferè inevitabilibus offensis viatorum, quos ipse ordinat ad suam æternam amicitiam. Quare non modò dignitas Dei non exigit hanc obligationem sed potius exigit negationem illius.] Hæc ille de obligatione penitentiæ penitentia justificativâ. & nos idem dicimus de obligatione retractandi toties quoties memoria peccati occurrit.

Objicit. 2. [Quis, inquit, constitutus ante faciem alicujus Principis, & memorans se fuisse illius perduellem, putat se posse sine illius contemptu non ostendere aliquam displicentiam de ejusmodi crimine perpetrato?] 2. 1. Hoc modo posset etiam probari obligatio statim reconciliandi modo possibili, vel si hoc negligi potest sine contemptu, poterit etiam retractatio quam propugnat Pallavicinus. 2. Cum Principes terreni non possint inspicerè animum paratum ad reconciliandum Principem eo tempore quo ipse Princeps voluerit, faciliè presumunt perversum adhuc erga se animum durare, neque talis hominis præsentiam ferrent, quamdiu nollet Principem sibi reconciliare; aliter se Deus gerit erga peccatores, à quibus nihil est quod sibi timeat: & contentus est, si absit continuatio præterita offensæ, eò quod videat non expedire graviorem obligationem.

Objicit. 3. S. Thomam 3. p. 2. q. 84. a. 8. in C. ubi ait: [Penitentia interior debet durare vsque ad finem vite, semper enim debet homini displicere, quod peccavit; si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum venire perderet.] 2. S. Thomam non posse intelligi de casu, de quo disputamus, nempe quando homo potest suspendere tam affectum complacentiæ, quam displicentiæ: sic enim esset conse-

quentia pessima: Non displicet, ergo placet. quia datur medium præsciens ab utroque. Loquitur ergo S. Thomas de casu quo homo non habet libertatem contradictionis, eò quod non proponatur illi reflexè difficultas & bonitas displicentiæ, ut eam possit vel eligere vel respicere, sed de casu quo habet solam libertatem contrarietatis, vel ad reprobandum vel ad approbandum peccatum, & de casu quo homo vult practicè versari circa peccatum præteritum, approbando vel improbando: & hoc sensu est bona illatio S. Thomæ. Porro hæc mens S. Thomæ etiam ex eo colligitur, quod in argumentis nullum posuerit ad probandum, sufficere præcisionem ab utroque actu, & quod questionem brevissimè expediat.

941. Objicit 4. & quasi diffidens probationibus ad obligandum toties quoties occurrit memoria peccati. [Quidquid sit, inquit n. 261. de prædicta Sententia, saltèm rationes supra indicate evincunt, peccatorem statim teneri ad primam retractationem ubi memoria peccati occurrit. Videtur enim magnus contemptus Principis facere hunc actum: Ego scio, quod vltima vice mihi placuit graviter offendere Principem, & tamen nolo retractare hanc meam vltimam voluntatem, quamvis sciam, meos actus interiores versari in conspectu ipsius Principis. 2. Hoc ipsum est, de quo disputamus, & ego dico, non videri quod sit contemptus Principis, quando quis aliquid non vult facere nunc, sed postea, dum non apparet obligatio pro nunc, sed pro postea; non apparet autem obligatio, quia non probatur aliter, quàm quod ita videatur, ad quod responderetur, alijs non ita videri. Catenim Pallavicinus non explicat nec exprimit actum integrè, prout deberet exprimi, nempe in ordine ad motiva quæ habet. Si enim dicat: Nolo retractare, sive obliger, sive non obliger; est utique contemptus: dicere autem: nolo retractare, quia princeps non exigit, contentus, quod non ratificem & approbem peccatum commissum; non est contemptus Principis, sed potius aliqua observantia. Quamdiu ergo non probatur dari obligationem, non possumus dicere, quod sit contemptus nolle retractare: & priusquam statuamus, an sit contemptus: nolle retractare, debemus prius statuere, an detur obligatio retractandi: malè ergo inferitur & probatur obligatio retractandi ex eo, quod nolle retractare sit contemptus: si enim dicit: nolo retractare, licet obliger, erit contemptus: si dicat: nolo retractare, quia non obligor, non erit contemptus: ergo non possumus scire, an nolitio retractationis sit contemptus, nisi prius sciamus, quale esset ipsius motivum seclusà ignorantia, scilicet, an detur vel non detur obligatio retractandi: ergo qui vult ex ipso actu probare obligationem, committit circulum, & nihil probat.



CAPVT IV.

DE EFFECTIBUS POENITENTIE.

CONTROVERSA I.

Quomodo Poenitentia delet penam.

941. **D**ē fide est, quod delerā culpā non propterea deletur omnis pœna. Trid. *sess. 14. c. 8.* Hujus rei rationem reddidi ex Recentiore quodam Hispano in tr. 1. de Incarn. quod nempē Pœna aeterna respondeat peccato Mortali ut habet rationem offensæ & contemptus divinæ amicitiae: prout autem habet rationem transgressionis legis, & ut sic non causat nisi malum aliquod finitum, sicut bonum oppositum quod obtineretur per actum bonum oppositum, etiam est finitum, ut sic inquam respondet peccato pœna temporalis commensurata gravitati transgressionis, & hæc manet etiam post recuperatam amicitiam.

Quia verò hæc doctrina & ratio necdum apud DD. invaluit, ideo nunc referam aliorum rationes hujus veritatis, quæ duobus modis impugnari potest. Itaque

943. Objici potest 1. actus justificativus impetrat remissionem pœnæ aeternæ, & quidem secundum minimum gradum suum, & secundum durationem vnius instantis: ergo cum vix contingere possit, ut tantum ponatur vnicus gradus, vel actus tantum duret per instans, per reliquos gradus & per vltiorem durationem impetrabitur remissio cujuscunque pœnæ temporalis: qui enim potest quod est plus, potest etiam quod est minus: & sic vix vnquam remanebit vlla pœna temporalis.

Responderi potest. 1. cum Card. de Lugo. Contritionem in primo instanti quoad omnes gradus non de condigno, sed de congruo tantum impetrare remissionem pœnæ aeternæ, & quidem consequenter ad impetrationem Gratia, cum qua non stat debitum pœnæ aeternæ. Porrò meritum de congruo non acceptatur à Deo ad conferendum in actu secundo omne id, respectu cuius est in actu primo meritum de congruo. Quoad durationem verò pro secundo instanti, vel considerationem contritionem in ratione meriti, vel in ratione satisfactionis: in prima consideratione expletur ejus meritum de condigno per collationem vltioris gradus gratia, & ideo ut sic non obtinet remissionem vllius pœnæ: in secunda consideratione delet quidem aliquid pœnæ, sed cum ea

restrictione, quam exigit resistentia committit, licet peccati prateriti.

Secunda responsio est Card. Pallavicini in n. 233. observatam in physicis quam in moralibus naturam esse ita comparatam, ut large sit liberare se ab ingentibus malis, quam in reliquijs eorundem. Cujus ratio est, quia magis accedit ad summam miseriam, est magis violentum natura, ac proinde habere obtemperantiam magis paratam: non ita verò illa mala, quantum impediunt, vel retardant felicitatem perfectam: hæc enim est bonum exitium, adeo debuit esse difficile. Sic etiam natura pœnæ cunctis artes, quibus arcerent leones & equi, non ita quibus arcerent muscas & culices.

Aliam responsionem, magis theologiam, & quæ mihi tam solida quam ingentia vitia addit idem Card. [Perunuit, inquit, ad divinum misericordiam, ut homo posset per instantaneam poenitentiam liberare se ab aeterno reatu, ne alioquin maneret in presenti discrimine tantæ miseria: non ita facile debuit posse liberari ab omni planè reatu pœnæ sensibilis, ac aliter apud homines peccatum vilesceret (ut etiam sinuat Trid. *sess. 14. c. 8.*) & ut homines acriter exstimularentur ad frequentiam, & multationem in operibus bonis: sicut enim magis movet per sensus, quam pœna damni, quia licet hæc pœna majori bono, illa tamen magis cadit sub hominis imaginationem, adeoque magis exterrere, magis movet timor purgatorij, quam aliter per augmenti gratia & gloria, quod accedit per quilibet actum meritorium, & ideo expectandum ne illa tota pœna iustis remitteretur, ad hoc verò desiderio ejusmodi remissionis semper attendentur ad novos actus bonos, ac proinde debuerent hic in gratia, & post hanc vitam in beatitudine.]

944. Objici potest 1. Si dimissio pœnæ aeternæ potest à Deo retineri reatus ad pœnam temporalem, sequitur posse à Deo remissionem tantum ad majorem pœnam quacunque decretam pœnâ assignatâ, quia semper adhuc erit finitum temporalis: ergo non posset Deus remittere pœnam aeternam, quin simul exerceret libertatem penitusque gratuitam remissionem pœnæ aeternæ.

temporalis, & nunquam posset taxare poenam aliquam temporalem, quin simul præstaret liberè beneficium remissionis: consequens videtur absurdum; qui enim præstat beneficium vnum, potest vtiq; negare aliud distinctum, sed remissio poenæ æternæ est beneficium, ergo debet posse præstari secluso alio novo, nempe remissione poenæ temporalis. Hac obiectio cessat secundum primam rationem ex Recentiore superius relata. Præcindo tamen ab illa,

Respondetur concedendo primam consequentiam, negando hoc esse absurdum in collatione illorum beneficiorum, quæ consistunt in remissione certi debiti præcisè in ratione debiti tantum. v. g. si dominus promitteret seruo, nolle se seruitorem continuare per annum, non potest beneficium manumissionis exequi, quin pius præstet quàm ad quod tenebatur vi promissionis: quocumque enim die manumitteret, potuisset sine violatione promissi aliquantulum continuare, quin perveniret ad annum.

CONTROVERSIA II.

Quibus modis deleatur Peccatum veniale.

945. Dicendum 1. Peccatum Veniale potest per Pœnitentiam deleri tam quoad culpam quàm quoad poenam, sine Sacramento Pœnitentiæ etiam in voto. Probat. Peccatum Veniale posse extra Sacramentum Pœnitentiæ deleri, constat ex Tridentino sess. 14. c. 5. Quod autem tunc non sit necessarius actus, qui contineat votum Sacramenti Pœnitentiæ in ordine ad Venialia, patet, quia confessio Venialium non est sub præcepto: ergo contritio v. g. quæ quis dolet de Venialibus, non est votum Sacramenti: in tantum enim est votum Sacramenti respectu Mortalium, in quantum est voluntas servandi omnia præcepta, inter quæ etiam est obligatio confitendi venialia, non est votum Sacramenti necessarium.

Dicendum 2. Tametsi actus dilectionis Dei qui sit vel formalis vel virtualis retractatio alicujus peccati Venialis, sufficiat ad delendam culpam, non est tamen tam perfectus actus necessarius. Primum membrum communiter à Doctoribus supponitur, excepto P. Arriagâ, & probari solet à fortiori: sufficit enim ad delendum mortale, quod est difficilius remissionis. & sanè est actus valde heroicus, quo quis amore Dei non solum respuit omnia quæ opponuntur amicitia divinæ, sed etiam illa quæ non opponuntur. ergo rationabiliter dicitur, Deum talem actum acceptare pro remissione culpæ, præsertim cum sit hoc valde ad mentem Tridentini, dicentis, multis modis posse Venialia extra Sacramentum deleri; non apparet enim nobilior modus.

Secundum membrum Conclusionis probatur ex verbis Tridentini, dicentis, *¶ 4. c. 5. peccata Venialia taceri citra culpam in confessione, eò quod multis alijs remedijs expiari possunt: unde subsumitur, atqui si Contritio esset determinatè necessaria, non apparet pluralitas aliorum mediolorum, quibus expiari possunt.*

946. DICO 3. Non videtur quavis attritio etiam supernaturalis extra Sacramentum sufficere ad delendum peccatum veniale. Hac Conclusio est contra P. Suarez & P. Dicastillo. Probat. ex sensu communi fidelium, existimantium, in Sacramento Pœnitentiæ remitti culpas veniales, non solum quando simul cum mortalibus exponuntur, & homo est in statu peccati mortalis, sed etiam quando sola venialia confitentur, & sumus in statu Gratiæ: atqui nunquam hoc fieret, si vera esset sententia Suarezij, hinc tempore præcederet attritio; peccata enim non possunt remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, nisi præcesserit eorum retractatio: si ergo hæc sufficit ad delendum peccatum Veniale, jam absolutio inveniet peccatum deletum per attritionem: ergo absolutio nunquam delebit primò. Responsiones varias adhibet huic argumento P. Dicastillo, quibus bene quidem ostendit, adhuc utiliter fieri confessionem venialium, etiam si supponatur remissio, sed non satisfacit sensui fidelium, arbitrantium ea remitti frequenter primo per ipsam absolutionem.

DICO 4. Nunquam videtur remitti culpa venialis sine aliqua peccati retractatione, saltem virtuali. Est contra Suarez & Arriagam, qui putant, in susceptione alicujus Sacramenti, v. g. Confirmationis, Eucharistiæ, &c. deleri Venialia sine positiva retractatione, modò adit negatio actualis complacentia. Ratio est, quia de lege ordinaria tamdiu non dimittitur peccatum, quamdiu manet voluntarium habitualiter, hoc est non retractatum, nec ex vilo solido fundamento potest probari hæc virtus Sacramentorum, ut supplere possint retractationem. Porò hunc sensum fuisse etiam tempore S. Augustini, non obscurè colligitur ex libro de vera & falsa Pœnitentiæ c. 8. ubi dicitur de Venialibus: [Est enim Pœnitentiæ assidue peccantibus assidue necessaria; in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur.] Eadem mens videtur fuisse S. Thomæ, qui adeo persuasum habuit, sine retractatione non dimitti etiam Venialia, ut *q. 7. de malo a. 11. in fine C.* requisiverit etiam in animabus purgatorij, decedentibus cum veniali in hac vita non retractato. Clarius nostram Conclusionem supponit *q. 87. a. 3. in C.*

947. Dico 5. Probabilis valde est Sententia Turriani, & Card. de Lugo, pro diversitate Venialium requiri & sufficere diversitatem attritionis extra Sacramentum, præsertim si attritio vestiat alijs pijs operibus, vel sit ex nobiliore motivo, vel cum majore intensione & fervore, vel diuturnior, vel repetita, &c. ita ut respectu gravio-

Q 999 2

ris

ris peccati Venialis alia perfectior requiratur, vel insuper aliud pium opus, v.g. oratio aliqua Ecclesiae, qua petitur venia, vel elemosyna, vel humiliatio coram nostro proximo, auditio, & oblatio Sacrificij Missae. Probabilitas Conclusionis inde colligitur, quod probabile sit, non sufficere quamvis attritionem, vt dixi Conclus. 3. nec etiam semper requiri perfectam Contritionem. Congruentia vltior est, quia Deus pro mortali vult sufficere perfectam Contritionem extra Sacramentum: ergo pro veniali videtur imperfectiore actu contentus esse. Quia verò vnum veniale est altero leuius, congruum erat, etiam intuitu huius discriminis plus pro vno quam pro altero requirere.

Dices, attritionem sufficere extra Sacramentum Pœnitentiæ, si conjungatur cum alijs Sacramentis, v.g. cum Eucharistia, extrema Vnctione, Confirmatione, &c. & sic adhuc saluatur, quomodo sæpè venialia dimittantur primò etiam sine mortalibus in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo non est necesse admittere, quod Attritio aliquando extra omnia Sacramenta sufficiat. R. Concedendo non esse necessitatem; sed tamen dico esse probabilitatem, quia sic melius intelligitur dictum Tridentini, quod extra Sacramentum Pœnitentiæ multis alijs medijs deleantur venialia. Videtur autem hoc dictum non adstrinxisse ad solos casus quibus aliud Sacramentum frequentatur, alioquin hoc probabilissimè monuisset. & cur non accessio aliorum operum piorum possit supplere insufficientiam attritionis? & hæc est expressa mens S. Thomæ q. 87. a. 3. in C.

Certum præ alijs remedium est Eucharistiæ sumptio; juxta Trid. sess. 13. c. 2. cuius elegantem rationem reddit Lugo, quod etiam amici terreni soleant in conuijs leuiores offensas dimittere, & quod de ratione cibi sit reparare, qua per continuam contritorum pugnam deperdimus. De alijs Sacramentis & remedijs plura videri possunt apud Suarez, Lugo & alios.

CONTROVERSIA III.

Virum peccata redeant per lapsum.

948. Status questionis est, an postquam peccata remissa sunt quoad reatum culpæ, & titulum odij, si homo de novo peccet, redeat reatus culpæ, & titulus ille odij, ita vt Deus odio habeat non solum ratione peccati de novo commissi, sed etiam intuitu peccatorum priorum, & semel dimissorum. Affirmarunt antiqui aliqui vniuersim, vt Hugo de S. Victore, Gratianus, Guilielmus Parisiensis, & inclinabat Magister sent. apud Vasquez q. 88. a. 1. n. 3. aliqui apud S. Bonavent. limitarunt ad quatuor genera peccatorum, per quæ volebant redire priora peccata, quæ hoc verbum comprehendebant:

Fratres odit, Apostata sit, spernitque fateri.

Pœnituisse piget, pristina culpa redit. Inuiter sunt hæc quatuor. Odium & crudelitas in proximum: Apostasia: Contemptus Confessionis: Desertatio seu improbatio factæ aliquando pœnitentiæ.

Dicendum est, peccata non redire, postquam semel dimissa sunt. Conclusio hæc quoad questionem facti, seu defacto, est iam in causa vt aliqui eam existimant esse de fide. Probatur maximè ex Gelasio Papa, in cap. diuina, de Pœnit. dist. 4. Diuina, inquit, Clementia dimittit peccata in vltionem redire non patitur. S. Prosperus S. Augustini discipulus, ad capitula Gallorum in resp. ad. 2. Qui, inquit, recedit à Christo, & abstinens à Gratia finit hanc vitam, quidni in pœnitentiam cadit? sed non in quod remissum est, recidit.

Probatur deinde partim ratione, partim ex Scriptura. In Scriptura dicitur Deus pœnitentibus simpliciter remittere peccata, sicut qui alibi debitum aliquod condonat: atqui debitum absolutè condonatum non redit per contractionem novi debiti: condonatio autem condonatio, nisi novum debitum contrahatur; non est simpliciter condonatio, sed est suspensa vsque ad euentum conditionis. Ratio huius Conclusionis robustabitur ex dicendis de potentia absoluta.

949. Obijcit præcipue parabola Matth. ubi seruus crudelis in conseruum suum, trahens tortoribus, donec reddat vniuersum debitum, quod paulò antè erat dimissum. P. Arriaga reijciens alias interpretationes putat esse intelligendum de debito de novo contracto, quod dominus exegit. Sed hæc interpretatio inidèr textui, & est contra sensum DD. qui omnes intelligunt de debito prius condonato.

Tres sunt interpretationes. Prima, quæ redeat prius debitum virtualiter & secundum quid, quia ratione ingratiitudinis subsequens peccatum sit grauius peccatum, & ita occasione peccatorum dimissorum crescit pena posterioris peccati. Hanc interpretationem amplectuntur alij RR. non tamen in eo rigore & sensu, quo antiquiores aliqui, quorum meminit Magister sent. de S. Thomas q. 88. a. 3. in 1. arg. in C. quæ circumstantia ingratiitudinis tanta sit malitia, quanta erant simul omnia peccata præcedentia remissa, ita vt reus huius circumstantiæ sit reus æquivalenter totius odij & vindictæ, cuius reus si nunquam priora dimissa fuissent. Hæc opinio est falsa & refutata à S. Thomæ; sed sensus interpretationis est, quod circumstantia ingratiitudinis augeat aliquantulum & secundum quid gravitatem peccati post justificationem commissi.

Secunda Interpretatio est Vasquezij, est scilicet speciale hoc peccato crudelitas, vt per rationem illius permittat hominem labi in peccata vel tam graua, vt adæquet debitum eorum prius remissarum.

Tertia interpretatio est Maldonati, quæ approbat P. Dicastillo, Christum Dominum

In parabolis aliqua posuisse facta, non quod facta approbaret, sed quia fieri solent, & serviebant Christo ad obtinendum scopum parabolae. Sic etiam Lucae 16. Laudat Christus astutiam Villici in dimittendo per fraudem debito domini sui, quia ita solent facere saeculares, non quod Christus approbaret, sed quia serviebat ad scopum suum, hoc est, ad declarandum, quod Deus etiam sit severus & inimicus in inimicis cordes.

Ego, salvo meliore iudicio paulo aliter interpretaretur, & dicerem, esse applicandam parabolam & factum Regis Deo, quantum seclusis imperfectionibus fieri potest, hoc modo. Rex ille dimisit debitum servo, sed ex ignorantia eventus & crudelitatis futurae, quia si scivisset futuram crudelitatem, non dimisisset, adeoque inspecto affectu Regis, fuit donatio implicitè conditionalis, sicut dicitur Jurista, posse defacto de nationem revocari ob ingratitudinem, & quod hæc conditionalis videatur semper inesse donationi. Jam verò quia in Deum non cadit ignorantia futurorum, neque Deus elicit actus voluntatis conditionales, quando videt conditionem non ponendam, essent enim supervacanei, ideo in Deo debet ita intelligi, quod scilicet Deus hominibus crudelibus non dimittat peccata, negando auxilia congrua ad penitentiam, quæ tamen non fuisset negaturus, si crudelitas abfuisset. quare in ordine ad puniendam crudelitatem supervenientem alijs pluribus peccatis, perinde est in effectu, si denegentur postea auxilia penitentiae, ac si penitentia peccata fuisset, & tamen peccata ob crudelitatem redissent. Posset etiam intelligi non de negatione auxiliorum penitentiae, sed de condonatione pœnæ temporalis relictæ, quam Deus fuisset condonaturus, si ille homo fuisset in fratrem Misericors & liberalis. Et hoc suaderi posset ex verbis ipsius parabolæ: tradidit enim dominus tortoribus, quoad usque solveret univrsum debitum: ergo debitum erat finitum & solubile, qualis non est pœna inferni. Sed, ut dixi, non omnia quæ ponuntur in parabolis debent ad amulsim posse applicari veritati, ad quam docendam parabola est instituta.

950. Restat breviter videndum, an de potentia absoluta possit peccatum absolute dimissum redire quoad reatum culpæ. Affirmant Scotus, Valentia, Thomas Hurtadus, Arriaga, & probabile putat Conink.

DICO 2. Non posse redire. Ità Vasquez, Iugo, Dicastillo, Pallavicin, Esparza. Probatur. Ut peccatum habituale semel destructum rediret, deberet redire aliqua pars illius, per cuius destructionem destructum est: sed nulla potest redire: ergo &c. Minor probatur in duplici sententia circa peccatum habituale. Si enim constituamus in peccato actuali præterito cum negatione condonationis, clarum est non posse redire, quia non potest fieri, ut negatio condonationis, quæ per condonationem est formaliter destructa, redeat,

quia factum infectum fieri nequit: ergo semper deest vna pars peccati habitualis, nempe negatio condonationis: ergo non potest redire, quia totum non potest esse sine suis partibus. Si verò dicamus, peccatum habituale consistere in privatione Gratia, posita dependenter à peccato actuali præcedente tanquam causa adæquata, iterum clarum est, peccatum destructum non posse redire per subsequens peccatum: iam enim poneretur privatio gratia dependenter à novo peccato tanquam causa proxima: ergo peccatum præcedens non esset causa adæquata: ergo non rediret peccatum habituale destructum, sed aliud poneretur.

Objicies. Potest quis abdicare à se jus *sub modo* (vt loquuntur Juristæ) hoc est cum adjecto pacto seu conditione, vt si hoc vel illud fiat, redeat illud jus, v. g. possum donare fundum alicui, sed cum hac conditione, vt ipso defuncto redeat ad me jus fundi. ergo etiam potest Deus abdicare jus ad odium propter peccatum A, sed cum hac adjecta conditione seu modificatione, vt si de novo peccet homo, redeat jus ad odium propter peccatum A. Responderet negando consequentiam & paritatem. disparitas est hæc. Jus ad fundum potest redire semel destructum, quia potest dari novus titulus ex quo resultet tale jus: nam eadem res potest acquiri sapius, sed semper ex novo titulo: v. g. fundus jam est meus ex donatione, emptione, hæreditate &c. si illum vendam, definit esse meus: si iterum emam, iterum est meus titulo emptionis. Sic in casu posito, antequam fundum donarem, habebam jus v. g. titulo hæreditatis, postea verò quando donatarius moritur, acquiri jus non titulo hæreditatis (qui jam est extinctus) sed titulo conventionis inter donatorem & donatarium: ergo jam est aliud jus, quàm jus prius, nam *Titulus & Jus*, sunt realiter idem, & tantum sunt diversa vocabula. At verò titulus & jus ad odium propter peccatum A non potest esse aliud, quàm ipsum peccatum A, existens; quare si semel hic titulus est destructus, non potest redire jus ad odium propter peccatum A, quia non potest redire ipsum peccatum A.

Quare autem reviviscant merita mortificata, & non peccata, constabit ex dicendis sequenti controversia.

951. Disputant hoc loco aliqui, an per accidens peccato mortali in hac vita dimisso quoad culpam & pœnam æternam, correspondeat aliquando in inferno pœna æterna. Resolvi hanc quæstionem lib. 2. & respondi negativè. Nunc invenio in M. S. Recentioris Hispani quæstionem eodem modo resolutam: sed in super refert varias adversariorum explicationes illius particulæ, *Per accidens*, quæ putant se satisfacere argumentis, quibus probatur, talem punitionem fore iniquam, quas explicationes quia apud auctores impressos non invenies, & ab eodem Recentiore solide rejiciuntur, ideo eas ex eodem referte non pigebit. Imprimis ergo dicit, nescire se, *cujus significationis*

tionis sit illa part. *Per accidens*, in presenti materia, praesertim cum illa apud suos Auctores tertio quoque die significationem mutet. Deinde generaliter illam particulam impugnat. Qui quid enim illa vox significet, implicat contradictionem, poenam vt 4. debitam peccato A. ex conjunctione cum peccato B. fieri poenam vt 8. debitam peccato A. ultra debitam per se peccato B. ergo *ly Per accidens* est merum vocabulum sine re. Antecedens patet, quia vnumquodque peccatum etiam actuale tantum punitur secundum suam gravitatem, & malitiam: vnde quando vnum non est circumstantia augens malitiam alterius, vel accipiens ab alio augmentum malitiae, etiam conjunctum cum alio augmentum punitur, & non plus quam puniretur non conjunctum. Ratio a priori est, quod mensura poenae infligendae pro delicto, sit sola gravitas delicti: vnde conjunctio omnino per accidens vnus delicti cum alio non augens malitiam vnus, non auget poenam illius. Quod si hoc accidit in peccatis actualibus concurrentibus, idem dicendum erit de peccato habituali iam dimisso quoad culpam, & perseverantem solum in debito poenae temporalis.

Secundo. Jus ad odium & inimicitiam natum olim ex peccato, neque per accidens resurgit, si semel dimissum fuit, ex conjunctione cum alio non dimisso: ergo neque jus ad poenam aeternam olim natum ex eodem peccato redibit ex conjunctione cum peccato non dimisso.

Tertio, vel Deus cum dimisit poenam aeternam, illam dimisit absolute, & donatione absoluta, vel tantum sub conditione: nisi homo iterum peccet. si dicas primum, est impossibile quod peccatum redeat quoad poenam aeternam, vt constat ex dictis: si dicas secundum, poena non redit per accidens, sed per se, sicut merita post recuperationem gratiae non obtinent premium per accidens, sed per se, vt dicam contr. seq.

Videat hunc jam explicationes illius particulae *Per accidens*. Primum ergo aliqui dicunt, *ly Per accidens*, significare, ratione fori in quo punitur. Sed contra virget iste Recentior. Illud forum nil est aliud quam divinum iudicium & tribunal: divinum autem iudicium ratione sui non potest punire hominem ultra illam poenam, cuius est dignus ratione sui, neque potest hominem semel factum liberum a poena aeterna, iterum facere obligatum aeternae poenae.

Alij tamen *Per accidens* exponunt, vt idem sit, ac *Ratione status*. [Sed rogo, (subdit iste Recentior) quisnam fecerit illum iniquissimum statum? praeterea ille status quid est aliud, aut quae praedicata & proprietates habet, nisi esse divinae Sententiae executionem iustissimam? ergo cum dicis, reum per se, & ex se poenam tantum temporalem, fieri reum poenae aeternae ex solo decreto, & Sententia iudicis, idem est ac dicere, Deum Sententiam suam decretoriam, & definitivam exigere poenam ultra condignum; Sententia enim condemnatoria iudicis, non facit hominem reum, sed supponit nec

confert illi dignitatem ad poenam, sed exigere poenam condignam, eam commensurando ipsi reo. Haec ille Recentior. Ego tamen existimo, quod illi qui ita respondent, aliud intelligant per poenam status, nempe Statum damnationis: statum enim ideo redire poenam aeternam, quia cum iusto iuste sit damnatus ob peccata non remissa, hoc est, quod non sit dignus vllius poenae remissionis, & quia per accidens est, quod sit damnatus, hoc per accidens punitur poena aeterna propter peccatum remissum, cuius poena aliqua est remissa, sed contra. Quia hac explicatione non declaratur, quomodo non punitur ultra condignum, statum per accidens. Deinde poena temporalis non debet cessare per affectum Dei beneficium, sed cessat per satisfactionem absque liberali connotatione: non est ergo opus aliqua dignitate, quae Deus respiciat in remissione debiti, sed solum sola potentia sustinendi poenam relictam.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo per Poenitentiam merita reviviscant.

952. **Q**ueritur, an per Poenitentiam ita iustificetur homo, vt reviviscant merita eius quae praecesserunt, & erant facta in Statu Gratiae, adeoque an redeat, & restituatur omnis poena Gratiae habitualis, quam ille homo per peccatum mortale perdidit, & quidem non tantum poena quam acceperat ex meritis proprijs, sed etiam quam acceperat sine proprijs meritis, vt in baptismo.

Merita in aliquo sensu reviviscere certum est hodie apud Theologos, post S. Thomam. Verum in quo sensu, & cum quo effectu seu in certum ad quem effectum ea redeant, est controversia. Reditus ergo meritum, praescindendo poenam modo & effectu, colligitur ex epist. ad Galatas. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* quae locum pro reviviscencia interpretantur PP. in passim apud AA. videri possunt, sicut & aliae probationes, ob quas censent DD. ad minimum temporarium futurum, reviviscencia meritum negare. Quo autem modo, & in oculis ad quem effectum reviviscant, est discutendum, & deinde solvenda objectiones, ac reddenda ratio discriminis, cur merita reviviscant, non item poena.

Prima Sententia fuit quorundam, merita tantum reviviscere in ordine ad aliquod gradum accidentale, quo gaudent beati de talibus meritis elicitis. Huic Sententiae adeo faveret S. Thomas q. 89. a. 5. ad 3. vt Suarez existimet, eum non potest in bonum sensum explicari, quod an ita sit, & discutiant. Sententia haec rejicitur ab omnibus.

Secunda Sententia est, reviviscere quidem merita in ordine ad premium a substatantiale, sed

precisè hoc sensu, quòd Gratia quæ datur intuitu operis justificantis, v. g. intuitu Contritionis, detur non solum titulo & intuitu contritionis, sed etiam intuitu meritorum præcedentium in gratia factorum, licet nihil plus gratiæ detur quoad entitatem, ac daretur, si nulla opera præcessissent: adeoque reviviscencia meritorum erit sola multiplicatio tituli sine multiplicatione rei. Ità Dominicus Bannez, quem postquam non solum DD. nostræ Societatis, sed ipsi etiam Thomistæ apud Turrianum impugnassent, de novo tueri conatus est Thomas Hurtadus in suo Præcurfore Theologico, qui in hoc prælio adeo certus est de victoria, vt tandem Jesuitis claudat omnes scholas his verbis: *Valeat ergo schola Jesuitarum, & oret Deum, vt mentem D. Thomæ illis aperiat.* Verùm scholas Jesuitarum non ità clausas vult in hoc puncto Doctissimus P. Antonius à Spiritu S. Carmelita, editus hoc anno quo hæc scribo, in suo Directorio Confessoriorum, qui pro sententia Societatis stat, *tr. 4. d. 2. sess. 8. n. 85.* non alios citans quàm Jesuitas, Suarez, Ripaldam, Lugonem, Perez, Dicastillo, addens esse communem sententiam contra antiquos Thomistas: & in toto suo opere plerumque Societatis auctores dignatur allegare & sequi.

Tertia sententia est aliorum Thomistarum, aientium, restitui quidem gratiam aliquam ex ea quæ deperditæ est per peccatum, sed non semper omnem, sed cum quadam proportione ad præsentem dispositionem per quam justificantur, quæ si v. g. est vt duo, restituetur gratia deperditæ vt duo. alij hæc proportionem aliter accipiunt, vt videre est apud Suarez, Lugo & alios.

Quarta sententia est Scoti: restitui quidem totam gratiam, non tamen in hac vita, sed in altera primum cum gloria.

953. DICO 1. Merita non tantum reviviscunt ad gaudium accidentale. Probat. Si enim hoc sufficeret, etiam reviviscerent merita mortua, hoc est in statu peccati facta, quod dici non potest. sequela patet. Nam de his etiam gaudent beati, vt pote quibus meritis sæpè de congruo impetrarunt auxilia ad resurgendum: imò magis de his quàm de mortificatis quandoque gaudent, quia fortè plus utilitatis ad vltimum finem inde consecuti sunt.

954. DICO 2. Non rectè explicatur Reviviscencia meritorum per titulum multiplicem vt volebat Bannez, cuius sententiam duo Thomistæ celeberrimi gravi censurâ notarunt. Sotus dixit esse falsissimam, Ledesma erroneam. Suarez modestissimè dixit, eam esse improbabilem; quod ægerimè ferens Thomas Hurtadus exclamat nescire se, quâ fronte dixerit improbabilem.

Probat. Conclusio 1. Ex Trid. sess. 6. Et primò quidem ex Canone 32. vbi expressè ad augmentum gratiæ per merita duo solummodo requirit, scilicet, vt sint facta in gratia, & vt homo in gratia moriatur: atqui vtraque conditio im-

pletur in nostro casu: ergo dabitur augmentum Gratia pro meritis præcedentibus? ergo merita præcedentia non erunt merus titulus, sed habebunt suum fructum distinctum à fructu aliorum operum.

Secundò, eadem sessione cap. 6. docet Tridentinum, quomodo debeat hominibus iustificatis ad eorum consolationem & stimulum inculcari bonorum operum in gratia factorum utilitas, his verbis. [Iustificatis hominibus siue acceptam gratiam perpetuò conservaverint, siue amissam NB. recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.] Quòd si quis concionator huic exhortationi adijceret explicationis loco & diceret: [Hæc tamen ità intelligatis velim, quòd Gratia amissa non quidem reipsâ recuperetur, sed quòd ex operibus quibus illam promeriti eratis, nihil aliud redeat præterquam titulus] nunquid hic talis frigidam affunderet, potius quàm fervorem excitaret?

Tertiò, idem Tridentinum can. 6. sic loquitur: [Nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censentur.]

Probat. 2. Ex absurdo. Si enim merita possunt dici reviviscere precisè ideo, quòd præsentem titulum distinctum ad gratiam pro alio opere posteriore dandam, nulla ampliùs ratio superest ad probandum, quòd, si homo semper in gratia perseveraret, & continuò se bonis operibus exerceret, quòd, inquam, talis per singula opera novum gradum Gratia & physicum augmentum acciperet, sed dici posset, posteriora merita esse tantum novos titulos, ex quibus prior gratia conferretur. Ratio est, quia Reviviscencia priorum meritorum aliud non est, quàm eorundem additio seu accessio ad opus illud per quod reviviscunt: ergo si accessio priorum operum ad posteriora plus non dicit quàm titulum, neque accessio posteriorum ad priora plus dicit quàm titulum.

955. DICO 3. Merita reviviscunt quoad totam Gratiam, quæ per peccatum subsequens erat deperditæ, siue deinde restituitur eadem formalitèr & realitèr, siue alia æquivalens omnibus gradibus per peccatum amissis. Probata satis est conclusio ex dictis, & quia nullum penitus fundamentum est restringendi ad certam proportionem. Nam quod supponunt Thomistæ, per actum remissionem non posse augeri Gratiam intensiorem præexistentem, rejectum est in tract. de Merito, vbi etiam probatur, gratiæ collocationem non differri in alteram vitam.

Solutio

*Solvuntur Objectiones, & explicatur Ratio
fundamentalis Reviviscentia.*

956. **Objicies 1.** Si restitueretur Gratia deperdita, vel hoc faceret Deus ex Justitia vel ex liberalitate & misericordia; neutrum dici potest. non primum, quia in nostris principijs Deus non potest obligari ex Justitia. Non secundum, quia sic hæc restitutio non tribueretur meritis præcedentibus, quod est contra Tridentinum.

✱. Deum restituere omnem gratiam deperditam ex Justitia Providentiali, hoc est, juxta exigentiam Gratiæ de novo concessæ. Declaratur. Gratiæ de novo data constituit hominem verum amicum Dei: atqui de ratione amicitia est, amicum non punire æternum per diminutionem dilectionis propter offensas dimissas; puniretur autem amicus à Deo æternum diminutione dilectionis & felicitatis, hoc est, carentiâ illius gratiæ, quam per peccatum deperdidit, & quam si haberet, magis diligeretur, & gauderet beatitudine majore. Porro privationem Gratiæ esse pœnam peccati certum est, quia gratia expellitur demeritorie per peccatum, & est terminus odij divini. Vnde rectè infert P. Esparza, quod si Deus non restitueret pristinam gratiam propter peccata præterita, adhuc secundum quid odisset hominem, & non amaret simpliciter, amor enim simpliciter excludit omne odium, & effectum procedentem ex odio.

Dices. Gratia non tantum expellitur in pœnam peccati, sed etiam quia peccatum est forma contraria: ergo licet privatio Gratiæ non debeat durare in ratione pœnæ, poterit tamen durare, quatenus est expulsa per formam contrariam: v.g. quando per nigredinem expellitur albedo, manet privatio albedinis, etiam si tollatur nigredo, si non adsit causa productiva albedinis. ✱. Peccatum non esse formam contrariam Gratiæ nisi in ratione offensæ moventis ad odium, & mediante odio expellit gratiam, & causat privationem Gratiæ, dependentem semper & continuè ab odio divino: quare privatio Gratiæ præcisè durat in ratione pœnæ, & tanquam effectus necessariò connexus saltè connaturaliter cum odio, quo proinde per amorem sublato tollitur etiam privatio gratiæ, adeoque redit gratia.

Dixi, restitutionem Gratiæ deperditæ in Justificatione esse juxta Exigentiam Gratiæ. An autem hæc Exigentia sit dispensabilis, vel indispensabilis, adeoque, an etiam positâ novâ post lapsum amicitia possent merita præcedentia non reviviscere per absolutam Dei potentiam, nec deperdita Gratia redire, non est certum. Recentior Hispanus ait sibi ex terminis notum esse, quod etiam ex suppositione restitutæ amicitia, Deus non teneatur hominem restituere omnino & quoad omnia in illum statum pristinum quem habuerat, antequam in peccatum prolaberetur: vnde concludit, quod sit nova liberalitas, & beneficium di-

stinctum à dono Justificationis, & nova gratia reviviscentia meritorum. addit tamen, quod hæc Gratia & liberalitas maximè consentanea sunt amicitia in quem homo recipitur. Quia secundum D. Thomam amicitia habet duos motus voluntatis, alterum indirectum, alterum pro directo ad hunc secundum motum pertinet pro amicitia pati & facere, quod quid secundum regulam prudentiæ hinc & nunc possibile est, & rationem requirere, quibus amicus magis astringatur amicitia, & quod Deus antecedentia amici merita & labores pro ipso toleratos in memoriam revocet, & ipsos statuat remunerari, est possibile hinc & nunc secundum regulas prudentiæ, & merito decens liberalissimum amicum, & infinitè dignum qualis Deus est.

Mihi tamen tum ob rationem antea positam tum ob alia principia alibi stabilita, magis videtur dicendum cum Cardin. Pallavicino & Eftorio Reviviscentiam meritorum esse metaphysicè necessariam, suppositâ restitutione amicitia, & exigentiam illam Gratiæ esse indispensabilem, ut hoc videtur insinuare S. Paulus dicens. *Nonne injustus est Deus, ut obliviscatur opera vestra, & dilectionis, &c.*

957. **Objicies 2.** Peccata non reviviscunt, ut in præcedentibus dictum est: ergo nec merita. Probatur consequentia. Sicut peccatum tollitur per Justificationem, ita & merita tolluntur per peccatum. ✱. 1. Negando paritatem. Nam, ut ostendimus, per Justificationem tollitur aliqua pars constitutiva peccati habitualis, que non potest redire: per peccatum verò nulla pars meriti tollitur, sed tantum ejus vis impeditur, & tollitur effectus illius: ipsum autem meritum semper manet in memoria Dei. ✱. 2. Negando paritatem etiam ex alio capite, quia de ratione amicitia est, non punire in æternum: non item de conceptu inimicitia est odisse ex omni causa & titulo, qui aliquando præcessit & est condonatus: imò est contra rationem condonationis absolute, iterum ob eadem titulum odisse.

Objicies 3. Ex eo quod Scriptura dicitur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, amicitiam, & meritum ejus non recordabor, inferimus, quod peccata non reviviscant: ergo cum ibidem dicitur de Justo, quod si peccaverit, non recordabor meriti justitiæ præcedentis, debet pariter inferri, non reviviscere merita.* ✱. Negando consequentiam: quia Scriptura loquens de oblivione peccatorum Dei, debet intelligi juxta capacitatem circa quam versatur: est autem diversa capacitas peccati & meritorum, ut ostensum est.

Objicies 4. Si per gratiam subsequenter possunt opera mortificata reviviscere, possunt etiam opera mortua, hoc est, que nunquam vivunt, quia facta sunt in peccato mortali, reviviscere: consequens est falsum, ergo, &c. Sequitur probatur, quia facilius est aliquid vivificari, quam occisum vite restitui. ✱. Negando sequentiam, & ad probationem negatur suppositum, scilicet, quod

quod mortificatio operum sit eorundem occisio seu omnimoda extinctio; est enim tantum positio obicis & impedimenti, quominus conservent & obtineant suum primum, quo obice remoto dicuntur reviviscere, sicut qui tristitia impeditur ne sumat cibum, remota tristitia dicitur reviviscere.

98. Obicies 5. Conceptus amicitiae non tollit reatum poenae temporalis: ergo nec tollit conceptum alicujus poenae aeternae, quae non sit omnimoda privatio beatitudinis. R. 1. Poenam temporalem residuam respondere peccato non secundum formalitatem offensae, & prout opponitur amicitiae, sed secundum formalitatem transgressionis legis, & prout respicitur à Judice & Justitia vindicativa legum, prout dixi tract. de Incarn. statim ab initio: ergo non est mirum quod per reassumptionem ad amicitiam non tollatur. R. 2. Praescindendo ab hac doctrina, negando paritatem; nam poena temporalis quae remanet etiam post peccatum dimissum, non arguit odium in infligente, quia non infligitur cum intentione privandi aliquo gradu felicitatis aeternae, sed potius cum intentione conferendi per totam aeternitatem omnem gradum felicitatis essentialis, quem habuisset, si nunquam peccasset; & insuper poenae temporalis compossibilitas cum amicitia erat necessaria, ut amicus absterreatur à levibus offen-

sis, & stimuletur ad satisfaciendum pro poena residua post peccatum dimissum, ut supra dictum.

Objicitur 6. Deus & Natura in subiecto disposito producant formam pro mensura dispositionis praesentis: atqui si merita reviviscerent, saepe produceretur gratia longè excedens praesentem dispositionem, quae quandoque ad justificationem sufficit, etiam remississima: ergo merita non reviviscunt adequatè, sed cum aliqua proportione ad praesentem dispositionem, ut voluit Thomista. R. Nego minorem. Nam quicumque gradus actus justificativi est sufficiens dispositio moralis & meritoria ad adequatam reviviscenciam, ob rationes allatas; nec debet haec moralis dispositio quoad intensiorem comparari cum dispositione physica, ut dictum in tract. de Merito.

Ex dictis colligitur, non rectè Vasquezium restrinxisse Reviviscenciam ad illas gratias, quas homo obtinuit per propria merita, sed extendendam etiam esse ad illas, quas accepit ex meritis Christi per Sacramenta sine suis meritis. Nam semper militat ratio allata, quod alioquin Deus adhuc practice recordaretur peccatorum, quorum intuitu abstulit illam gratiam, eamque nollet restituere. Atque haec de Virtute Poenitentiae.



PARS II.
DE SACRAMENTO
POENITENTIAE

CAPVT V.

DE ESSENTIA ET PARTIBVS
CONSTITVTIVIS HVIVS SACRAMENTI.

CONTROVERSIA I.

Quanam sint partes constitutivæ huius Sacramenti.

959. **D**icendum est 1. Verba absolutionis sunt pars essentialis huius Sacramenti. Ità communissima contra Scotum, de cuius mente immeritò dubitant aliqui DD. an totam essentiam huius Sacramenti in absolutione constituerit. Nam licet ejus verba quæ habet in 4. dist. 14. q. 4. possent sententiæ communi non difficulter accommodari, quòd solum velit, absolutionem solam importari in recto: quæ tamen habet dist. 16. q. 1. non videntur recipere interpretationem. sic enim loquitur. [DICO quòd ista tria, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, nullo modo NB. sint partes (Sacramenti Pœnitentiæ) quia Pœnitentiæ Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis: huius autem nulla pars est contritio, quæ est quoddam spirituale in anima: neque Confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis: Neque satisfactio, sed sequitur absolutionem Sacramentalem: hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc ut ritè suscipiatur, requiruntur, vel prævia vel sequentia, simpliciter enim requiritur confessio, quia Sacerdos non absolvit reum arbitrariè, nisi priùs reus fuerit sibi accusatus in illo foro; non est etiam utilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio.]

Quòd ergo Verba absolutionis non sint totum Sacramentum Pœnitentiæ, probabitur in sequentibus Conclusionibus, vbi cæteræ partes af-

signabuntur. Et satis constat ex Conc. Florent. & Trid. asserentibus, quòd Verba absolutionis sint forma huius Sacramenti: atque forma est pars non ipsum totum. Scio, Recentiorum Philo-
sophorum totum esse in eo, ut ostendat, posse Concilia intelligi de forma non prout comparata ad materiam ex qua, sed ad materiam in qua, hanc autem non est necesse esse partem constitutivam totum quod exprimitur nomine formæ, ut si quis diceret: Albedo est forma, cuius materia est lac: ego ipse notavi in tract. de Sacram. in gener. Concilia non semper enumerasse materiam ex qua, sed quandoque Materiam circa quam. Illi tamen certum est, Concilium per formam voluisse univèrsim intelligere partem Sacramenti, & comparasse ad alias partes etiam constitutivas, nam post Florentinum nullus Classicus Doctor constituit Sacramentum adæquarè in sola forma, quòd ego sciam, nisi quòd hic Recentior dicat, sic quando Scoti sententiam defendisse.

Quòd verba absolutionis sint de Essentia huius Sacramenti, plusquam certum est. Nam Verba absolutionis sunt operativa effectus, qui per hoc Sacramentum intenditur, sunt enim essentia absolutoria: ergo sunt de Essentia huius Sacramenti, cuius essentia est: esse iudicium. Deinde, solà absolutione non posita, carnis omnibus positis, non est Sacramentum: ergo juxta Regulam Partium est constitutiva Sacramenti, impossibile enim est, aliquid non esse, præcisè ex defectu alicujus non constituiti.

960. Dicendum 2. Confessio est etiam pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Probatur 1. ex Regula generali de omnibus Sacramentis. Quidquid Deus ad valorem Sacramenti cuiuscunque instituit & requirit, quod est aliquid sensibile in seipso, & immediatè sub sensu cadens, illud agnoscitur tanquam pars constitutiva Sacramenti in ratione signi & cæremoniæ sensibilis: sed talis est confessio & accusatio in Sacramento Pœnitentiæ: ergo. Minor est indubitata, nam aliquam saltem inchoatam confessionem essentialiter requiri omnes fatentur, etiam pro articulo mortis. Major patet ab inductione, nec enim quidquam sensibile requisitum ad valorem in vilo Sacramento potest assignari, quod non habeatur pro constitutivo.

Probatur 2. Specialiter in hoc Sacramento. Nam Sacramentum Pœnitentiæ est institutum in forma Iudicij forensis, seu Tribunalis, & per hoc maximè differt à Baptismo, vt docet Tridentinum *sess.* 14. c. 2. Atqui de essentia Iudicij forensis & Tribunalis exerciti est accusatio rei: ergo &c.

961. Dicendum 3. Contritio (præcendendo à Perfecta & imperfecta) est etiam pars constitutiva hujus Sacramenti. Probatur. Non posita retractatione, posita quantumvis confessione & absolutione, & etiam intentione Ministri, non fit Sacramentum. ergo iuxta regulam receptam est pars constitutiva, vel erit necesse assignare aliam partem, quæ deficiat in casu posita confessionis & absolutionis, sine retractatione, nulla autem alia assignatur: ergo tunc deficit totum ex defectu retractationis.

Confirmantur hæ tres conclusiones ex eo quod sint planè conformes Tridentino c. 3. *sess.* 14. vbi dicitur: [Sunt autem quasi Materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.]

Objicies 1. Contritio non est sensibilis: ergo non est pars Sacramenti. R. Distinguo antecedens. Non est sensibilis in se immediatè, concedo; in alia comparte, nempe in Confessione, quæ est manifestativa animi volentis absolvi, & præstantis ea quæ ad obrinendam absolutionem requiruntur, nego. Plures autem sunt Sacramentorum partes, quæ non nisi in alio sunt sensibilis: v. g. forma substantialis aquæ in baptismo: Intentio Ministri: consensus internus in Matrimonio: voluntas instituentis: character quoad aliorum Sacramentorum administrationem, vt dicitur *tr.* de Sacram. in genere.

Objicies 2. Ergo pœnitens est partialiter minister hujus Sacramenti, & administrat Sacramentum sibi ipsi. Nam ille est Minister, qui exercet actus constituentes Sacramentum. R. Negando consequentiam. Ille solus denominatur

Minister, qui exercet officium Iudicis; ille autem exercet officium Iudicis, qui ad instantiam rei fert sententiam: & vniuersum in omni Sacramento ille est Minister, qui per formam nomine Christi prolatam determinat reliquas partes ad esse Sacramenti.

Objicies 3. Ergo etiam peccata erunt pars Sacramenti, quia includuntur à Confessione vt verè, & illis non positis cæteris positis non est validum Sacramentum. Ad hanc objectionem respondebitur Controv. Sequentè. Nunc

962. Dicendum 4. Satisfactio est pars saltem integralis, hoc est, sine qua quidem esset essentia Sacramenti, non tamen integrum. Probatur ex Tridentino paulò antè allegato, cuius verba recitavimus, in quibus ratio conclusionis continetur, & explicabitur in loco.

CONTROVERSIA II.

An peccata absolvenda ita sint Materia remota, vt nullo sensu sint pars Sacramenti.

963. S. Thomas q. 84. a. 2. quærens an peccata sint materia Pœnitentiæ, responderet in C. his verbis. [Dicendum, quòd duplex est materia, scilicet proxima & remota: sicut statua proxima materia est metallum, remota verò aqua. Dicitur est autem, quòd materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentiæ, cuius materia sunt peccata de quibus dololet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfactio. Vnde relinquitur, quòd remota materia pœnitentiæ sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda & destruenda.] Hac S. Thomas, cuius auctoritate ducti cæteri Theologi dixerunt, Peccata esse materiam remotam, non quidem sicut est aqua respectu baptismi & ablutionis, sed materiam circa quam vt destruendam versatur Sacramentum, sicut in Eucharistia materia circa quam est panis.

Card. de Lugo docet, Peccatum esse quidem materiam remotam, vt destruendum, sed tamen in ratione præteriti esse partem constitutivam. Ratio est, quia si nullum peccatum præcessisset, & tamen adesset dolor de peccato (quia falsò puto me peccasse) & confessio & absolutio, non fieret Sacramentum, vt omnes fatentur: vnde vt regulæ partium infert, peccatum in ratione præteriti esse partem constitutivam.

Contra hanc Lugonis sententiam insurgunt potissimum duo Recentiores, P. Dicastillo & P. Esparza (quibus accedunt Perez d. 17. *sess.* 7. n. 4. & P. Antonius à Spiritu S.) qui quidem in eo conveniunt, quòd sententia Lugonis sit contra omnes anteriores Theologos; sed in modo rejiciendi differunt. Nam P. Dicastillo rejicit per viam Connotatoribus familiarem, quo modo rejecit eundem Auctorem asserentem, quòd Intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti;

R r r r 2

sed

sed P. Esparza in hoc stat pro Lugone, vt suo loco dixi, & ideo circa P. Dicastillo nihil est hic addendum.

Fundamentum P. Esparza quare peccatum præteritum in ratione præteriti non possit esse pars Sacramenti, est hoc. Repugnat aliquid esse causam etiam partialem destructivam sui: sed Sacramentum est Causa destructiva peccati: ergo peccatum non est pars Sacramenti. Censeo hoc argumentum continere æquivocationem, & in vno æquivocationis sensu minorem esse aperte falsam, in altero argumentum esse demonstrativum, sed veritatis quam nec Lugo nec alius negat. Omnia ostendo. &

964. DICO 1. Peccatum secundum id, secundum quod destruitur, seu, in eo sensu quo destruitur, nempe in ratione Peccati habitualis, non est pars constitutiva Sacramenti, neque hoc Lugo dixit. Probat. Nam peccatum destruitur, quatenus vel tollitur negatio condonationis, neque privatio Gratiæ est pars constitutiva Sacramenti, neque hoc Lugo dixit. ergo peccatum secundum id, secundum quod destruitur non est pars Sacramenti.

965. DICO 2. Peccatum actuale in ratione præteriti, sive, hoc quod est peccatum esse commissum, est veritas objectiva, quæ nunquam per totam æternitatem destruitur aut destrui potest, & ideo in hoc sensu non repugnat (vi argumenti P. Esparza) esse partem Sacramenti, & sic argumentum continet minorem falsam. Conclusio tam est evidens, quàm evidens est, factum non posse fieri infectum. Videamus nunc, quid ipse respondeat ad argumentum Lugonis.

Respondet ergo negando hypothesim (quam cæteri adversarij admittunt) nempe, negat posse realiter manere cæteras partes, nempe dolorem &c. & non fuisse positum peccatum: Probat. quia dolor & odium constituens sacramentum pendet (vt ipse putat) essentialiter à cognitione vera præexistentiæ peccati: cognitio autem vera pendet essentialiter à reali præexistentia peccatorum, & veritas est illi adæquate intrinseca.

Contra hanc responsionem efficaciter vrget Lugo, & quidem dupliciter 1. permittendo id quod adversarius assumit in sua probatione. deinde verò ostendendo falsitatem assumpti.

Primo ergo sic vrget Lugo. Si per impossibile non præcessisset peccatum, & tamen poneretur talis dolor & cognitio, non esset sacramentum: ergo per hypothesim impossibilem adhuc sequitur, præteritionem peccati esse partem constitutivam. Respondet P. Esparza, se abominari has hypotheses impossibiles. Sit ita. Hinc tamen infero duo. primum. Ergo cum antehac huiusmodi hypotheses tanquam vtilis ad investigandum formalem conceptum & constitutiva rerum, fuerint à summis optimis agnitæ & receptæ, quisquis ex tali hypothesi deducit peccata vt præterita esse partem sacramenti, nihil asserit contra omnes an-

tiqiores Theologos. Secundò & fortius scilicet Ergo P. Esparza non habet amplius vllum frangens argumentum, ad probandum, quòd Institutio divina Sacramentorum sit pars Sacramenti, vt ipse asserit. Probat. nam ille faceret in terminis, esse probabile, quòd Ministri actus externa & etiam intentio interna essentialiter præponant institutionem divinam: ergo si peccatum præteritum potest excludi, quia ab alia parte Sacramenti essentialiter præsupponitur, etiam Institutio divina poterit excludi, quia essentialiter præsupponitur ab actione externa & intentione Ministri.

Respondet, aliunde nos cogi vradmittimus, Institutionem esse partem, quia scilicet omnis Institutio signi est forma denominans signum ad placitum: omnis autem forma est pars, & Sacramentum est signum ad placitum.

Sed contra. Sicut tu negas, objectum esse formale verificativum cognitionis essentialiter connexa cum objecto, ita ego negabo, Institutionem esse formam denominantem illud signum, quod essentialiter pendet à reali institutione: vnde sicut per te dantur aliqua propositiones essentialiter veræ per veritatem adæquate intrinsecam, & alia quæ complentur per objectum, ita ego dandi aliqua signa ad placitum, quæ sunt essentialiter talia, alia verò non.

Contra Responsionem principalem vrget Lugo, & cum eo Arriaga 2. Falsum est, quòd Contritio seu dolor de peccatis essentialiter imponat cognitionem veram de existentia peccati. Nam Contritio supponit essentialiter cognitionem supernaturalem Prudentiæ, quæ dicitur: *bonestum est hic & nunc detestari peccatum*: & hoc eadem dictamen est essentialiter verum, sed ita propterea essentialiter supponit, peccatum esse commissum, sed ad summum supponit, esse probabile vel dubium, quòd sit commissum. Ratio est, quia honestum est confiteri peccata dubia, & tunc quidem si peccatum revera præcessisset, fieri Sacramentum, si non præcessisset, non fieri, metus dolor & dictamen Prudentiæ sunt actus supernaturales, & dictamen Prudentiæ est actus verissimum, licet non præcessisset peccatum: sicut enim honestum est, dare elemosinam illi, qui probabiliter est pauper, licet à parte rei non sit pauper, ita honestum est detestari peccatum probabiliter commissum, etiam si revera commissum non sit. Et ita semper sensit antiquissimi. Declaratur exemplo. Dicit mihi aliquis, me ante tot annos furtum commisisse, postquam illud credere, & quandoque teneor, & postquam honestè furtum illud confiteri: si revera commissum fuit peccatum, valebit Sacramentum, si minus non valebit, & tamen si ille mentis est, existent in me omnes ijdem actus, qui essent, si verum dixisset. Nam opinio mea de veritate dicti non est essentialiter vera, actus vero quo evidenter judico, & reflexè affirmo, peccatum esse quod ille dixit, est quidem essentialiter vera.

verus; sed adhuc esset verus, etiamsi peccatum non præcessisset, quia etiam tunc adhuc mihi eadem probabilitate probabile esset esse verum. Multa enim falsa sunt probabilia. Denique dependenter ab his actibus elicitur dictamen prudentiæ supernaturale & dolor supernaturalis, sive præcesserit, sive non præcesserit peccatum, sicut imperium piæ affectionis, quo impero assensum præstandum parochi, casu quo fallum dicit (pono me obligari ad credendum) est supernaturale & meritotium, licet actus subsequens in intellectu non sit supernaturalis. Hæc pro Lugone.

Ex dictis colligo clarè, in Lugonis sententia valde convenienter ad sensum S. Thomæ explicari, quomodo peccatum *ut destruendum* sit materia

remota Sacramenti, sicut aqua est materia remota statuæ factæ ex marmore genito ex aqua, & sicut panis sensibilis est materia remota Eucharistiæ. Nam aqua ita est materia remota & destruenda per introductionem formæ marmoris, ut tamen remaneat in marmore pars aquæ, nempe Materia prima. Et panis sensibilis ita destruitur per consecrationem, ut tamen maneat accidentia; & sic aqua dicitur transire in marmor, & panis in Corpus Christi. Pari modo peccatum habituale destruitur quidem secundum vnam partem, nempe secundum negationem condonationis seu privationem Gratiæ, sed manet secundum alterum, scilicet, secundum hoc quod est, peccatum præcessisse.

CAPVT VI.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Quo sensu vera sit forma: Ego te absolvo, respectu peccatorum jam antè remissorum.

966. **C**ertum est ex praxi totius Ecclesiæ rectè posse eadem peccata sæpius clavibus subijci, & ab ijs sæpius absolvi. Vnde nascitur difficultas & quaestio, quomodo possit verificari forma respectu peccati jam semel remissi, sicut enim solutio à corporali vinculo non datur, nisi immediatè præcedat vinculorum ligatio, ita nec videtur quis à vinculo peccati dici posse nunc absolvi, si non amplius illo ligatus est, sed jam solutus. In hoc puncto variant AA. quorum opiniones præcipuas referam, omiſſis manifestè falsis, aut obscuris.

§. I.

Aliorum Sententiæ referuntur.

967. Prima Opinio est Scoti & Cajetani, in casuposito subintelligi: *in quantum tu indiges*. Sed contra est: ergo in tali casu, si nullum aliud peccatum dicatur, nisi remissum, absolutio est nulla, quia, cum nulla sit indigentia, deficit conditio.

Secunda est P. Egidij Conink: ex peccato etiam remisso remanere semper quandam indignitatem, ratione cujus minus dignus est cæteris paribus, novis beneficijs, quàm qui non peccavit, & hanc dignitatem semper in hac vita remanere; hancque, ait, indirectè minui, quatenus augetur gratia, quæ præponderat ex altera parte: sicut si Deus imprimeret plumbo quantitatem tantum tra-

hentem, relicta tamen ibi tota gravitate, absolute non minueretur gravitas nisi indirectè.

Hæc tamen sententia difficultatem non tollit, & omiſſis varijs impugnationibus Lugonis & Arriagæ, breviter rejicio, quia indignitas illa non est peccatum, sed effectus peccati, & quidem talis, qui, ut vult auctor, nunquam in hac vita tollitur, sicut in illius exemplo non tollitur in plumbo gravitas: quomodo ergo verum est, me à peccato absolvi? certè sicut in exemplo posito Deus non rectè diceretur auferre gravitatem, sed eam impedire per contrarium ab effectu suo connaturali, ita si indignitas illa semper manet, non dicitur verè tolli peccatum, impediendo illius dignitatis vim per collationem Gratiæ. Denique illa indignitas possèt tolli, quia defacto tollitur in beatis, quatenus in illis nullum beneficium impedit, ut hic docet ipse Conink: ponamus ergo Deum promittere mihi, quoddam nolit deinceps vllum beneficium negare intuitu peccati commissi, adhuc potero ab illo absolvi: ergo independentè ab hac indignitate est præsens quaestio resolvenda.

968. Tertia Sententia est, verba formæ non significare in tali casu absolutionem à culpa, sed à reatu aliquo penæ temporalis remanente. Huic Sententiæ videtur ansam præbuisse S. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. quaestione. 2. ad 4. Ad eandem Sententiam multum, si non ex integro videtur accedere P. Esparza, qui ait, absolutionem qui-

R III 3

dem

dem à culpa significari tantum conditionè, si non sit prius remissa, ut autem evitaret incommodum primæ Sententiæ, addit, absolutam significationem formæ cadere supra remissionem partialem pœnæ alicujus relicta à peccato, & quæ nunquam tollitur adæquatè in hac vita, consistitque in incertitudine de peccati remissione præcedente, adeoque caussare semper saltè levem aliquam sollicitudinem, an verè sit remissum. hanc sollicitudinem ait minui novà absolutione, quia jam est quis securior quàm antè.

Rejicitur hæc Sententia communiter & merito. Nam primò ex ea sequeretur, quòd habens revelationem de peccato sibi etiam quoad pœnam dimisso (prout aliqui Sancti habuerunt) non posset iterum subijcere clavibus eadem peccata, quòd est contra sensum fidelium. Imò, ut observat Pallavicinus, ne illi quidem possent confiteri, quibus moraliter constat (sicut constare posse supponit S. Thomas 3. p. q. 84. a. 9. ad 1.) esse sibi remissa; quia non licet conferre aut recipere Sacramentum, quando moraliter constat, non fore efficax ex defectu materiæ. Secundò, contra hanc Sententiam acutè observat idem Cardinalis, ex ea sequi, Sacerdotem gnarum, illa peccata jam antè fuisse subiecta clavibus, debere habere intentionem restrictam absolvendi à sola pœna, & nullo modo à culpa; addo ego, quòd in hunc finem teneretur cum pœnitens monere. Ratio est, quia non licet habere intentionem generalem extendentem se ad aliquem effectum Sacramentalem, quem non potest prudenter credere futurum: sicut qui haberet ante se positas decem hostias, supra quarum novem jam essent prolata verba consecrationis, non deberet habere intentionem generalem consecrandi, quiddid non est consecratum, sed consecrandi specificè illam solam hostiam determinatam, supra quam verba ante non essent prolata. Tertio & in specie difficilis est Sententia P. Esparza; quia si res attentè consideretur, intentio ministri esset semper conditionata: *si peccata non sunt dimissa*. quæ proinde conditio, quia deficeret in nostro casu, Sacramentum esset nullum. probo sequelam: talem enim haberet intentionem, quæ sufficeret ad augendam securitatem de peccato remisso: atqui sufficeret conditionata etiam tunc, quando ex defectu conditionis esset nullum Sacramentum; quia ideo esset nullum, quia peccata jam essent dimissa: atqui Sacramentum etiam ut nullum redderet securum pœnitentem, non minus quàm si esset validum: ergo illa securitas non esset effectus specialis valoris Sacramenti, sed eodem modo obtineretur, si ponatur Sacramentum non valere ex defectu hujus conditionis: *si nondum sunt peccata dimissa*. ergo est effectus tantum consequens ad intentionem remittendi peccata. & non directè, absolutè, ac primariò intentus, aut per verba significatus.

969. Quarta Sententia est Cardinalis de Lugo, qui cum rejecisset Sententiam communem paulò post referendam, scilicet, quòd significatio

formæ cadat directè & immediatè supra conditionem Gratia sanctificantis, docet, eam cadere immediatè supra ipsam culpam, & tamen esse remissam dicere; *Absolve te*; etiam si non adicit culpa; hæc sic explicat. Sicut non mentitur, qui post factum semel delictum, iterum rogatus dicit, se remittere, & qui semel se obligavit, & semel voverit aliquid, potest se iterum & iterum obligare, & vovere id ipsum, ita fit in nostro casu, quando Sacerdos secundò dicit: *Absolve*. vel: *Absolve te*. Remittere enim est obligare se per cellionem ad non vtendum jure acquisito: neque enim ad renuntiandum est necessum, quòd actus in se sit, id cui renuntiamus; sicut per peccatum iteratam renuntiamus de novo carni: ponatur ergo per novam cellionem novum tutum, ut novam obligationem ad non vtendum per quæ habuimus.

Vtèrius declarat discrimen inter obligationem vinculi corporalis, & vinculi spirituales moralis, quare scilicet illa prior supponatur immediatè antè existentiam vinculi, & non etiam posterior: & ait, quòd verba: *ego te absolvo*. remittit vinculorum corporalium habeant solum pro objecto immediato ipsam solutionem vinculi, quæ si reipsa non ponatur, erit falsa propositio: obligatio solutionis vinculi spiritualis habet pro objecto immediato non ablationem externam vinculi, sed actum voluntatis meæ, quo intercedo jure acquisito ex officia, & obligo me ad non vtendum eo jure in eos vius, ad quos ponitur affirmatur ergo actus Voluntatis, qui est, certus, remissio, condonatio, seu voluntas me obligandi. Vnde infert Lugo, hanc solutionem repeti potest, quia licet homo solutus à vinculis corporum non possit secundò solvi, officia tamen potest iterum remitti, quia potest creditor iterum se obligandi non petendam rem illam.

Sententia hæc admodum ingentia pœnibus impugnatur ab Arriaga d. 49. §. 6. n. 1. quibus tamen, ut spero, ex dicendis sequens liberabitur; quare etiam aliam explicat, quæ quidem communem traditurum sim, aliqua tamen in hujus Sententiæ confirmationem afferam. Duo solum hic quæ mihi in ea, vel potius in modo loquendi non placent, notabo. Diffinivo nomen, quòd ponat in Deo obligationes, quæ suo loco rejeci.

Primò ergo mihi paradoxum videtur, quòd dicatur Deus per secundam condonationem obligare ad non vtendum jure, quòd aliquando habuit, jam autem non amplius illud habet ob factam prius remissionem: hoc sane esset contradictorium, quod modo non habet, enim impossibile vti jure, quòd modo non habet, adeoque tam absolum esse videtur, imaginari Deum dicentem: obligo me ad non vtendum jure, quòd quidem aliquando habui, sed jam non habeo; atque est: obligo me ad nolendum non esse existere, ad non faciendam chymæram, quòd non placet, quòd dicit, eum, qui reser-

sua vota, novo se vinculo obstringere, & novam obligationem inducere, prout loquitur *disp. 13 de Penit. n. 83.* Aliter lego in nostris Constitutionibus s. p. c. 4. *lit. H.* ubi dicitur. [Non est obligatione novâ se alstringere, sed ejus qua obstricti sunt, in Domino recordari, atque eandem confirmare.] Verùm hæc parùm ad rem præsentem faciunt; notare tamen placuit.

§. II.

Nostra Sententia.

970. Communis aliorum explicatio est, verborum *Absolvo te*; esse hunc sensum: *Confero tibi Gratiam quantum est ex se reconciliativam.* Quia verò statim objici posset, hæc ratione formam forte veram, si gratia conferretur nullo vnquam peccato commissio, ideo P. Arriaga paulò distinctiùs sic effert. Confero tibi gratiam ex se remissivam ejus peccati, quod commisisti, si remissum autem necdum est, illud tibi remitto. Verùm neque sic omnino perfectè videtur forma exposita esse. Nam licet sic exponatur commodè significatio vocis, *Con dono*; vel: *Remitto*; in præsentia tamen plùs significat vox; *Absolvo*: significat enim Sententiam Judicariam, seu, in Judicio latam. Itaque

DICO, verba *absolvo te*, esse vera etiam respectu peccatorum jam remissorum, quatenus ex impositione sua & vsu recipiunt hunc sensum: *Ego, intuitu propriæ accusationis & humiliationis tuæ de his peccatis, confero tibi gratiam collativam & exclusivam juris ad aversionem, quam tuis peccatis promerujisti; nec condignè satisfecisti.* Hoc totum defacto est verum. Quare verò mentio fiat non exhibitæ satisfactionis, ratio est, quia peccatum pro quo quis condignè satisfecit, non potest condonari, adeoque condonatio præsupponit negationem condignæ Satisfactionis.

Restat solummodo defendendum, & declarandum, quòd ex vsu hominum verba *absolvo*: *condono*, &c. sufficienter verificentur respectu condonationis radicalis, & collationis Gratia reconciliativæ, licet jam præcesserit reconciliatio, adeoque quòd veritas hujus vocis: *Con dono*, *absolvo*; non præsupponat negationem condonationis, sicut præsupponit negationem condignæ Satisfactionis.

Declaratur autem hic vsus hominum exemplis humanis. Quando filius offendit Patrem, eumque sibi jam reconciliavit, ita vt non possit de reconciliatione prudenter dubitare (vt est exemplum filij prodigi Evangelici) quia pater dixit, se ignoscere, vel signa evidentia reconciliationis exhibuit, vt osculum, amplexum, &c. adeoque injurius esset filius in patrem, si vellet suspicari simulatam reconciliationem: in tali, inquam, casu, nemo omnium hominum prudentum est, qui negaret, laudabiliter acturum talem filium, si deinde (vt solet in Germania fieri) accessurus ad sacram Confessionem peteret priùs veniam à patre: simili

modo petunt Religiosi laudabiliter veniam suorum errorum commissorum in communitate, tametsi indubitatè sciant, eos jam esse remissos ab ijs qui læsi sunt, & nemo reprehendit dicens: *stultè agis petendo rem impossibilem. non enim potest remitti quod jam remissum est.* ergo possibile est id quod tunc petitur, nempe concessio veniæ, & condonatio secunda: ergo qui tunc dicit, *ignosco*, non dicit falsum: ergo non vult dicere, *ignosco id quod hæcenus non ignovi.* ergo in tali casu illud verbum alium sensum admittit, præscindentem à precedente remissione: scilicet: *Ego te tali affectu prosequor, qui est impossibilis cum jure ad aversionem, & si illud jus quod habui, adhuc existeret, esset illius delictivus.*

Ex quo constat, verba hæc: *Con dono*, *absolvo* &c. in vsu hominum non solùm & vnicè significare actualem & formalem reconciliationem & destructionem tituli ad odium, sed etiam significare destructionem radicalem. Exemplum aptissimum est in Absolutione ab Excommunicatione ad reincidentiam: quæ est vera absolutio: & tamen si postea ad evitandam reincidentiam petatur absolutio, hæc secunda absolutio est vera & simpliciter dicta absolutio, & tamen supponit jam absolutum. Et quid multis opus est? quis dicat, eum qui sciret omnia peccata sibi esse dimissa quoad culpam & penam, non posse orationem dominicam orare, dirigendo petitionem ad peccata præterita, eò quòd peteret à Deo chymæram, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra.* Defacto verò Deus decrevit non dimittere peccata, nisi per infusionem Gratia: petitur ergo saltem implicite hæc infusio Gratia sub nomine Remissionis & Absolutionis: ergo Deus exaudiendo preces & infundendo Gratiam, rectè dicitur dimittere peccata, sine vlla improprietate verborum.

971. Objicit huic sententiæ vnicè Card. Lugo n. 72. observando, verba Sacramentorum duas habere significationes: vnâ quam habent ex hominum impositione, antecedenter ad omnem Sacramenti institutionem: alteram mysticam ex institutione Christi. Jam ergo, quanto querimus, quomodo verificentur hæc verba: *Absolvo te*: querimus de significatione priore, non de Sacramentali: atqui ex hominum impositione non significant illa verba Gratiam sanctificantem: ergo non explicatur rectè eorum significatio per ordinem ad gratiam.

2. Ex dictis, distinguendo minorem. Verbum *absolvo* non significat ex hominum impositione infusionem gratia determinatè, & explicitè, concedo; indeterminatè & in confuso nego. Itaque verbum *absolvo*, significat omnem absolutio-nem quæ verè absolutio dici potest: atqui ex communi hominum vsu radicalis absolutio etiam vocatur *absolutio*, & infusio gratia est radicalis absolutio: ergo hæc absolutio significatur indeterminatè & confusè. Hinc patet discrimen inter formam hujus Sacramenti, & aliorum quorundam Sacramentorum, v. g. Baptismi: nam vox, *Abluo*,

ex hominum impositione non significat infusionem Gratia, quia infusio Gratia in nullo sensu est ablutio corporis, quam solam significat vox *Abluo*. At vox, *absolvo*, ex hominum impositione significat liberationem factam à culpa quocunque modo: ideo significat indeterminatè etiam eam quæ sit per infusionem gratia: distinguitur tamen adhuc à significatione Sacramentali, quia hæc significat determinatè infusionem Gratia. Hoc ipsum totum reperitur etiam in forma extrema Vnctionis, quæ secundum significationem naturalem significat remissionem peccati, præcindendo à remissione extrinseca & intrinseca per gratiam; secundum significationem Sacramentalem verò significat determinatè infusionem gratia, quia defacto peccata non aliter dimittuntur.

Porro, quòd infusio Gratia sit propriè condonatio, adeòque significetur etiam per verbum: *Con dono*, vel *Absolvo*: tradiderat ipse Lugo in suo tomo, nam *disp. 7. n. 162. in fine* habet hæc verba. [Vnde Deus infundendo gratiam, dicitur propriè condonare peccatum, quia per infusionem gratia gratis destruit jus & ritulum quem habet ad odium peccatoris:] & circa medium habet hæc verba. *Per quam gratia infusionem dicitur formaliter condonare peccatum.*

Hanc formæ Sacramentalis explicationem videtur approbasse S. Thomas 3. p. q. 84. a. 3. ad 5. in fine dicens. [Ester autem perfectior expositio: *Ego te absolvo*, id est: Sacramentum absolutionis impendo.] quorum verborum sensus est iste, vt interpretatur Pallavicinus. Do tibi effectum Sacramentalem, cuius virtute sufficienter es absolutus à debito patiendo averfionem.

372. Post hæc, duodecim ab hinc annis dictata, nunc in M. S. Recentioris sæpè laudati, reperio aliqua quæ faciunt pro huius, & prioris sententia confirmatione, quæ proinde hic apponam in compendio.

Supponit ergo hic Auctor 1. verba formæ Sacramentalis pœnitentiæ, non esse à Christo assumpta ad aliud significandum ultra id, quod ex institutione humana ex se & extra Sacramentum significant. solum enim Christus contulit vim significandi infallibiliter, sive cum effectu conjunctam necessariò, & vim cauſandi quod significant, objectum tamen significandum non mutavit.

Supponit 2. (& est res certa & probata in Logica) aliud esse querere: quid petant voces illæ pro objecto suo, vt verificentur: & aliud, quid defacto sit illud ratione cuius defacto verificentur: non enim petunt semper voces ad sui verificationem illud determinatè, per quod defacto verificantur. v. g. hæc propositio: *Aliquis currit in foro*: pro sui veritate petit quidem, vt vel Petrus vel Paulus vel alius currat: sed non petit determinatè, vt Petrus currat, cum æquè vera esset, si Paulus curreret. Si tamen defacto

solus Petrus ibi currit, ille est, ratione cuius propositio defacto verificatur. His positis

Docet 1. Hæc verba: *Ego te absolvo* ad sui veritatem solum exigere in genere quolibet formam, sive extrinsecam penitentia, sive intrinsecam, sive physicam, sive moralem, per quam peccatum hominis deletur. (hoc contra ego superius dixeram) Probatur ex suppositione. Verba illa formæ nihil aliud significant intra Sacramentum, nisi quod significant extra Sacramentum (loquendo de significatione per impositionem hominum) sed extra Sacramentum probatur de nomine, significant formam quæ ipse condonat injuriam ab homine, ergo intra Sacramentum significant formam quæ Deus condonat injuriam peccatori.

Docet 2. hæc verba: *ego te absolvo* defacto determinatè verificari per gratiam sacramentalem. (Et hoc ego supra dixeram) Advertendum tamen, inquit, est, quòd non intendimus in hac conclusione, existentiam actualem gratia de presenti requiri ad veritatem formæ, sed solum ut requiratur saltem conditionalis existentia gratia de presenti: scilicet, sub hac conditione: si sit sufficiens dispositio. hoc advertendum per hoc auctor in favorem sententia admittentis potest dari hoc Sacramentum validum & informe, cum ipse sequitur. Nam in hac sententia non potest formæ significatio esse Gratia absolute existentia de presenti, sic enim forma esset falsa: quare tunc ergo est significatio & verificativum formæ in actu quod Sacramentum est validum & informe. hoc verificativum censet esse sufficienter obligatum à S. Thoma in verbis supra à me relatis, quæ assertit, sensum formæ esse hunc: *Ego in Sacramento absolutionis impendo*. iuxta hanc explicationem forma, dum Sacramentum est validum, actu gratiam conferat, sive non, sive homo currit & in effectu absolvatur à peccato sive non, verum est Sacerdotem actu impendere & de presenti dare Sacramentum absolutionis.

373. Sed quia nemo est, cui non licet occurrat contra hanc S. Thomæ expositionem obiectio vulgaris, nempe quòd hæc ratio formæ huius Sacramenti reflectat supra seipsum, adeoque significet seipsum in actu signato, quod videtur inconueniens, quia haberet hunc eundem sensum: *Ego dico supra te hæc verba: Ego in Sacramento absolutionis impendo*. huic inquam objectioni, rejecta solentia Suarezij & Lugonis (vt pote qui non evitant flexionem, cum maximè velint) respondet auctor hoc modo. [Dicendum est, etiam est objectum quod significatur hac formæ. Aliud quod significatur absolute de presenti, aliud quod significatur vel de presenti, vel de futuro, sicut dicitur significat vel de presenti, vel de futuro, sicut dicitur significat, & in utroque sub conditione: *si probata dispositio*. Explicat singula. Primum objectum quod significatur de presenti, & est verificativum copula de presenti, est ipse absolutivus actus, sive, sententia pronuntiat in causa veritate

torum peccatorum, sive actus Judicis ex legitima potestate Sententiam absolutionis pronuntiantis.

Nullum autem est inconueniens, quod verba significant seipsa secundum aliquam rationem communem (quæ est doctrina receptissima à Logicis) nam hæc propositio vocalis: *omnis vox fit ex aere repercussio*, significat seipsam secundum quod continetur in ratione vocis articulatae.

Sed vt ad rem nostram propius accedamus, Judices omnes humani in proferendis Sententijs vtuntur formulis reflexivis seipsas significantibus. v. g. *Declaramus Petrum innocentem, & à Jure impunitibilem*. certè vox: *Declaramus*: significat seipsam, id enim quo formaliter iudex declarat, est illa vox: *Declaramus*. Similiter est in vsu alia formula: *Addicimus Petro talem hereditatem*. quæ formula cum sit de præfenti, significat seipsam; nam ratio formalis, quâ Judices addicunt litiganti hereditatem, est eadem vox: *Addicimus*. In testamentis id ipsum apparet clarius. Nam hæc formula: *Lego Petro hortum meum suburbanum*: reflectit supra seipsam, quia testator non per aliam rationem formalem legat, quam per ipsam vocem: *Lego*. Sicut ergo in his formulis reflexivis nemo difficultatem habet, ita nec habere debet in Sententia Sacramentali, contenta verbis: *Absolvo te*.

Neque tamen ideo negatur, esse etiam immediatum obiectum gratiam Sanctificantem, sed solum negatur, quod hæc significetur de præfenti absolute vt existens, & non purè conditionaliter: negatur præterea, quod Gratia requiratur præfens, vt forma verbalis absolutionis, quæ importat copulam de præfenti, verificetur. Quod vt planum fiat, interpretor verba absolutionis per hæc æquivalentia: *Ego tibi confero meam Sententiam absolutoriam à crimine, vi cuius, si habeas debitam dispositionem, tibi simul confero realem formam remissionem peccati, & vi cuius, id est Sententiæ, si actu non habeas debitam dispositionem (ad recipiendam nunc gratiam) actu tibi confero per meam Sententiam formam remissionem peccati pro tempore futuro, pro quo debita tibi accesserit dispositio*. Contra hanc interpretationem;

974. Dices 1. Quonam pacto verificatur ista vltima clausula: [vi cuius tibi actu & de præfenti confero formam remissionem peccati, sive gratiam Sanctificantem, pro tempore futuro quo accesserit dispositio?] videtur enim hæc clausula involuere contradictoria. Si enim Sacerdos actu confert Gratiam de præfenti, gratia actu confertur & est; quod si actu non est, actu non confertur: & si actu non confertur, falsum est, Sacerdotem illum actu conferte. Denique est intelligibilis conjunctio & continuatio illorum terminorum: *Confero de præfenti gratiam de futuro*.

Respondetur, Philosophos purè physicos naturales & reales solum posse hanc difficultatem movere, quippe qui solum cognoscunt collationem Gratia, quæ formalissimè sit ipsa realis productio Gratia & infusio illius in animam, & ideo nequeunt combinare hæc duo: Gratiam de præfenti conferri, & eandem tantum existere de futuro,

imò aliquando nec de præfenti, nec de futuro existere. (nempe in casu quo post Sacramentum validè susceptum, nunquam ponitur dispositio ad Sacramenti reuiviscenciam.) At Philosophi Ethici, Politici, & Morales, cum quibus sentiunt Legistar, Canonista, & Jurisprudentes, omnes probè sciunt, aliam esse collationem alicujus doni quæ est actio donantis domini, vel iudicis adjudicantis, aliam esse possessionem ipsius doni, sive rationem formalem, quâ donum ipsum possidetur à donatario, possèque donationem, vt est actio donantis, vel iudicis adjudicantis, esse de præfenti, quamvis possessio ejusdem sit de futuro, imò quamvis nunquam futura sit.

Ad dubium ergo Respondetur in forma. Si Sacerdos actu confert Gratiam, gratia actu confertur, distinguo. Gratia actu confertur eadem collatione sive ejusdem generis & rationis, quâ Sacerdos actu confert, conceditur antecedens: diuersâ collatione, ratione reali, cum Sacerdos tantum conferat judicialiter, negatur antecedens. Ad id quod subiungitur: si Sacerdos confert gratiam, gratia confertur, & est: neganda est illa secunda pars: *& est*. quia cum Sacerdos conferat gratiam collatione adjudicativâ, quæ est actio propria iudicis, non est necessarium, quod Gratia realiter sit, juxta superius dicta: bene tamen necessarium est, quod Gratia actu sit, quando Sacerdos non solum confert gratiam collatione adjudicativâ, sed etiam collatione conjungente sibi productionem physicam Gratia, quod fit, quando subiectum est sufficienter dispositum, non solum pro valore, sed etiam pro fructu Sacramenti.

975. Dices 2. Quamdiu non infunditur Gratia, manet homo peccator: ergo non est absolutus à peccato. R. Distinguendo consequens: Non est absolutus judicialiter negatur: non est absolutus cum executione Sententiæ, conceditur consequ. sicut, si quis judicialiter absolvitur ab exilio, est quidem absolutus, sed si adhuc maneat diutius in exilio, non est absolutus ab exilio cum executione Sententiæ.

Dices 3. cum Suarez & Lugo. in nullo alio Sacramento verba formæ significant seipsa: ergo nec in hoc Sacramento. Transeat antecedens nego consequentiam; sicut ipsi adversarij negabunt istas: formæ aliorum Sacramentorum significant immediatè actionem Ministri tanquam materiam proximam: ergo etiam forma hujus Sacramenti, formæ aliorum non significant immediatè & formaliter justificationem suscipientis: ergo nec forma pœnitentiæ. & sic de alijs. Ratio est, quia quodvis Sacramentum habet aliquid speciale: v. g. solius Matrimonij possunt & debent duo esse Ministri: & sic de alijs. In pœnitentia speciale est, quod sit iudicium, & contineat absolutionem iudicalem, de cuius natura est, esse reflexè sui significativam.

976. Hæc, vt dixi, in compendio referre placuit, ex illo Recentiore. tum in confirmationem dictorum, tum etiam, vt inde haberetur solutio

tio argumenti quo Recentiores solent probare, & (ut ipsi putant) demonstrare, Sacramentum hoc non posse esse validum & informe: nempe quia forma falsificaretur ex defectu verificativi, quia non conferret de presenti absolutionem, seu effectum aliquem physicum, qualem putant debere semper conferri, nempe vel Gratiā, vel Characterem. Patet responsio ex dictis, negando hoc esse necessarium; & habetur instantia manifesta in Sacramento Matrimonij valido & informi: in quo aliud non producit quā actio Ministrī, nempe consensus internus & externus: effectus autem moralis obligationis nihil aliud physicum superaddit, quā Decretum Dei approbativum; hoc autem à Sacramento non producit: & tale decretum etiam in Sacramento Pœnitentiæ adest, nempe sententia divina approbativa sententiæ Ministrī, juxta promissionem Christi: *Quicumque solveritis super terram erunt soluta & in Cœlis.* Itaque argumentum illud Recentiorum, quod acceperunt ex P. Esparza, non evincit intentum. An autem ex alio capite repugnet Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, dicetur infra.

CONTROVERSIA II.

Virum possit conferri valida absolutio per solum verbum. Absolvo; ac tandem per solum, Etiam.

977. **C**ommunissima DD. Sententia est, ad minimum requiri duas voces: *Absolvo te*: quæ posita sunt in Florentino Concilio. Nihilominus Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 1. §. postremum: putat sufficere in aliquo casu verbum, *Absolvo*, consentit Henricus Henriquez l. 1. c. 11. n. 1. lit. Marginali B. §. solum: Hunc secutus nuperimè est (nec alium scio) Recentior ille Hispanus, qui vi replicarum adactus tandem eò progressus est, ut fateretur (salvo tamen meliore judicio) fore validam absolutionem, si quis interrogatus à penitente: *absolvīsne me à peccatis istis quæ enumeravi?* responderet: *Etiam.* Cardinalis de Lugo d. 13. n. 25. ait, certum esse quòd talis absolutio non valeret. Rationem à priori hujus certitudinis non invenio: auctoritate tamen permotus conabor respondere ad ea, quæ pro se quasi evidentia & innegabilia assertit ille doctissimus Recentior, cujus Sententiam censurā afficere non audeo, cum Romæ sit tradita. illud solum adverto, Recentiorum hunc in suis thesibus de Sacramento Pœnitentiæ hanc sententiam non ponere expressè; sed potius dicere: Formam hujus Sacramenti consistere essentialiter in his verbis: *Absolve te à peccatis tuis.*

Rationes, quas pro sua sententia assertit, ejusmodi sunt, quæ neminem hactenus latuerunt, sed nemo eas vrsit valde, quia omnes supposuerunt, auctoritati communi plus esse in hoc puncto tribuendum, quā rationibus desumptis à paritate actionum humanarum. Videamus illas.

978. Probat ergo assertionem 1. Verbum *absolvo*: prolatum in illis circumstantijs (scilicet post enumerata peccata per modum confessionis) significat absolutionem à peccatis hujus auctoritatis & accusati apud Judicem ex institutione & vsu hominum: ergo est sufficiens forma consequentia patet ex dictis (inquit) & auctoritas probat sufficenter ipse quotidianus consuetus hominum, & vsus frequentissimus in institutione humana; non enim aliam significationem pro forma absolutionis expectari Christus Dominus, quā quæ oritur, vel consistit in eis hominum: si quis petat à Petro librum: Petrus respondente *dono*: certè nullus est, qui non dicat, Verbum *Dono* in illis circumstantijs evidentè significasse omnibus audientibus donationem libri, & non alterius rei factam petenti debitorum. quod si petisset donari sibi debitum mille aureorum, eodem verbo: *Dono*: prolatum, omnes audientes jurati deponere possent, Petrus solvisse suum debitorem à debito mille aureorum. Certè in hac re Grammatici potius consulendi essent, quā Theologi. ita ille.

Respondeo concessio antecedente nego Consequentiam; & nego eam ab hoc auctore vram probatam esse. Probaverat quidem (quod nemo negaverat) à Christo Domino assumpta esse verba secundum significationem quam habent ex hominum institutione: sed nunquam protulit, quòd Christus assumpserit verba vocalia cum circumstantijs non vocalibus, per quæ in vsu & familiari conversatione hominum significatione vocum incompleta solet compleri: hoc autem nunquam probatum est, aut ab illo probari potest, quia nemo negaverit, potuisse Christum sumere pro forma pura verba vocalia, significatione completè absque admixtione circumstantiarum, prout fecit in alijs Sacramentis (excepto Matrimonio): si Christus hoc facere potuit, cur non esset resoluta ex vsu hominum, aut institutionibus, sed ex traditione, quæ per auctoritatem & consensum doctorum innotescit, quorum nihil non improbatet absolutionem factam per verbum: *Etiam.* Quod si de hoc Sacramento iudicio dicere licet quod in iudicijs humanis scire certum est, quidni ergo poterit sacerdos mutus absolvere per solum verbum, si potest homo mutus dimittere debitum solum? quidni poterit absolvi absens, petens absolutionem per procuratorem, ut fit in iudicijs humanis? quidni poterit absolvi qui nunquam interfuit? quidni poterit absolvi post mortem? ut quid in his & similibus recurrendum est ad Christi institutionem specialem, quæ voluit hunc Iudicium aliquid inesse speciale? Deinde cur non videtur Baptismus per solum verbum *Etiam*: si quis interrogaret, ut affunderem aquam & baptizarem te in Nomine Patris & Filij, & Spiritus S. ut quid Joannis baptizatus collatus petenti, etiam sine vocibus valuisse; nunquid servo rogato non

numissionem satisfieret, si dominus responderet: omnino

979. Probat assertionem 2. Ideo in communi Sententia non requiruntur essentialiter verba, à peccatis tuis, sed sufficiunt *absolvo te*: quia ex circumstantijs constat, esse absolutionem à peccatis. ergo etiam communis sententia debet fateri, significationem formæ compleri per circumstantias: nam verba *Absolvo te*, sunt indifferentia ad significandam absolutionem vel à peccatis vel à censuris, &c. Hoc argumentum speciosius est priore, & pridem me aliisque vexavit. Nihilominus dupliciter responderi potest. 1. ex hoc plus non probari, (si quid probatur) quàm quòd Christus illas circumstantias assumpserit pro complemento formæ, quas ex communi auctoritate, fundatâ in verbis Conciliorum, colligimus sufficere cum verbis, *absolvo te*, ut determinatè significant absolutionem à peccatis. De exprimenda autem persona, & ejus presentia, habemus auctoritatem cogentem, fundatam in traditione perpetua. 2. Tamen 2. Negando quòd circumstantie compleant significationem, determinando illam ad absolutionem à peccatis. Aliud est, significationem esse completam ad significandum objectum A. determinatè: aliud, quòd absque externis circumstantijs constet de quo objecto sit sermo. Nam sensus verborum æquivocorum est perfectus, & tamen determinatio ad unum sensum provenit ab intentione loquentis. v. g. vox Petrus est æquivoca ad plures Petros. & tamen completè significat Petrum A. ex intentione loquentis, licet non nisi ex circumstantijs possit alijs innotescere hæc intentio & determinatio. DICO ergo: verbum *Absolvo* esse æquivocum, & non univocum ad absolutiones diversi generis & ordinis, habere tamen sensum perfectum, sed determinandum ad unam materiam præ alia ex intentione Ministri. Respectu personarum verò absentium & presentium non est æquivoca, sed univoca, sicut est *Homo*. Quare ut significet completè personam presentem, debet presentia exprimi, quod non fit sine particula demonstrativa, *Te*: vel æquivalente.

Quòd autem vox: *Absolvo*: sit æquivoca ad absolutionem à vinculo peccati, & à vinculo

excommunicationis, declaro dupliciter. primò sic. quando vox respectu plurium est æquivoca, tunc synonymorum est eadem significatio: v. g. vox *gladius* omnibus illis potest applicari, quibus vox *Ensis*, quæ est synonyma. quando autem vox est æquivoca, tunc synonymum unius significationis non potest applicari alteri. sic vox *canis* respectu canis terrestris est synonyma cum animali latrabili, quæ definitio non convenit syderi quod etiam dicitur canis. Item vox Petrus respectu Petri A. est synonyma cum hoc: *Filius primogenitus Consulis A.* hoc non convenit alijs qui vocantur *Petrus*. lam ad propositum nostrum: vox *absolvo*, quæ primitivè est imposita absolutioni à vinculis corporeis, habet æquivocum sensum respectu absolutionis à peccatis: nam hæc absolutio est synonyma cum voce: *Condoneo: Ignosco*. hæc autem voces non conveniunt absolutioni à vinculo corporeo. Item est æquivoca respectu absolutionis à Censuris: nam hæc absolutio non est ex se & essentialiter condonatio (quando enim reus est emendatus, debetur) sed est restitutio, & æquivaleret huic: *Restituo te Ecclesie &c.*

Declaro 2. per exempla simillima. 1. vox *Transmitto* est æquivoca ad Transmissionem rei corporalis, v. g. litterarum, & ad Transmissionem quæ fit in disputationibus, quando transmittuntur propositiones, & ad transmissionem quæ quis dissimulat, & non revocat ad animum injuriam ab alio illatam: ratio est, quia in primo sensu est synonyma cum hac: *mitto de loco in locum*: qui sensus reliquis non convenit. in secundo sensu idem est ac: *accepto tanquam si esset vera*. qui sensus etiam reliquis non convenit.

Secundum exemplum fit in voce, *Retorqueo*, quæ quatenus dicitur de retorsione corporea, habet utique alium sensum, quàm quando dicitur de retorsione argumenti, quod idem est ac, ostendo argumentum etiam tibi solvendum. Et iterum alium sensum habet, quando dicitur de Retorsione Judiciali Injurie, cujus sensus est: volo ut tu habearis pro tali qualem me dicis, donec probes &c.



CAPVT VII.

DE DOLORE ET PROPOSITO REQUISITO
AD SACRAMENTVM POENITENTIAE.

CONTROVERSA I.

Virum Contritio ex solo metu Pœna & desiderio Beatitudinis sit honesta.

980. **D**icendum est cum Catholicis omnibus contra Hæreticos, esse honestam. Probatur 1. ex S. Scriptura, ex qua argumentatur Tridentinum. Nimirum ad prædicationem Jonæ plenam terroribus ex timore subversionis poenitentiam egerunt, & misericordiam sunt consecuti: quamvis per illum actum non fuerint iustificati, nisi accesserit Contritio, quæ probabiliter creditur accessisse, quia Christus Matth. 12. & Lucæ 1. laudat eorum poenitentiam. Hiuc Tridentinum definit, talem motum esse etiam impulsam Spiritûs Sancti, & donum Dei, viamque ad Iustificationem parare, & disponere, vt accedente Sacramento homo iustificetur.

Ratio à priori est manifesta. Nam Deus in hunc finem minatur pœnas, easque infligit, vt alij absterreantur: ergo placet illi, pœnis absterri: ergo est honestum. Eadem ratio & quidem à fortiori procedit de motivo præmij; nam & hoc in hunc finem proponitur, & est nobilior motivo pœnarum, sicut nobilior est Mercenarius quam servus, quorum ille movetur mercede, iste verò metu pœnarum, vt ex Cassiano ad veritè Pallavicinus. *Legendus canon 5. Trid. sess. 14.*

Contra hanc veritatem sunt tres molestæ objectiones, quas non omnes vno modo dissolvunt.

981. Obieitur 1. Actus talis attritionis amat & eligit negationem peccati ad vitandam pœnam, vel acquirendam gloriam æternam: ergo magis amat carentiam inferni & gloriam quam negationem peccati, iuxta vulgare: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Iam sic. qui vnum magis amat altero, habet affectum conditionatum: si possem habere carentiam pœnæ v. g. & gloriam sine carentia peccati, non curarem carentiam peccati, quod perinde est ac dicere: ego peccarem, si non esset infernus. qui actus est vtique inhonestus, & ita sensisse videntur Amainus & Adrianus.

Confirmatur difficultas. Qui dicit: si alterum mihi subeundum esset vel peccatum, vel infernus, mallem peccare, quam adire infernum: ta-

lis vtique peccaret: atqui hoc videretur dicere, quod infernum apprehensivè magis odit quam peccatum (prout facit attritio de qua loquimur) hinc dicitur in Logica, quod assentiendo conclusioni præmissis, minus ita comparati, vt si alterum esset dissentiendum, potius dissentiremus conclusionem quam præmissis. Ergo, &c.

2. In forma, concedendo primam conditionem, nego subsumptum. Hoc solum optinè inferitur: ergo ex modo tendens in infernum, non potest colligi aut argui, quod homo fugiat peccatum, si infernus non esset. non autem colligitur: ergo peccaret: multo minus colligitur ergo habet defacto affectum conditionatum peccandi, si infernus non esset. Quia posset tunc homo attendere ad alia motiva absterrentia, quæ defacto non attendit, sed præcisè, quæ sufficit illi motivum inferni fugiendi. Sic cum Mater puerum pomum ostendit, vt accipiat, movetur quidem puer à pomum, nec cogit de causa adevendi Matrem: nec tamen inde sequitur, quod si Mater vocaret sine pomum, non accedat, tunc enim fortè circumspiceret, an sint alia motiva accedendi; certè circumspicere posset, quod illi moveri: ergo ex priore motivo pomum non inferitur nolitio talis accessus pro casu quo non datur pomum. Tunc ergo solum valet illa subsumptio, quando id quod adhibetur vt medium ad aliud, habet in se præcisè rationem mediæ ad finem finem, & nullam aliam amabilitatem, tunc enim verum est, quod illud nolle, si non induceret ad aliud.

Ad Confirmationem negotiorum, & veritatem cum exemplo ibi allato. Nam tunc solum arguitur rectè ita constitutus, vt si alterum esset dissentiendum, dissentiret obiecto conclusionis potius quam præmissarum, quando nulla apparet alia ratio assentiendi conclusioni quam præcisè obiectum præmissarum: eodem modo, si evitacione peccati nulla reperiretur obiectum nisi præcisè ad evitandum infernum, etiam potius peccatum quam infernus; sed hæc obiectio est inepta: quia pœna ideo inferatur, vt

absterreat à peccato, & sic qui concipit pœnam vt pœnam, concipit peccatum vt aliunde malum, & quidem vt majus malum quàm sit malum pœnæ: ergo jam apparet vt odibile ex alio capite, quàm præcisè ob metum pœnæ.

Replicabis. Inhonestus est ille actus, qui magis odit, quod est minus odibile: atqui attritio magis odit infernum quàm peccatum, cum tamen sit minus odibilis, vt pote minus malus, vt supra dictum. R. Distinguo majorem, qui magis odit præcisè, quatenus id quod est magis odibile, hic & nunc odit & fugit ad declinandum alterum minus malum, nego majorem: qui magis odit præcisè, hoc est, qui eligit magis odibile ad evitandum minus odibile, concedo majorem. & eodem modo distinctà minore negatur consequentia. Itaque Attritio non eligit peccatum ad fugiendum infernum, & hoc modo non odit minus peccatum quàm infernum, sed fugit hic & nunc peccatum, vt fugiat infernum. Et hoc non est inhonestum, quia non est electio mali, sed fuga vtriusque mali.

982. Obijcitur 2. Ille actus non est honestus ex objecto, cuius motivum non est efficax ad excludendam voluntatem peccandi, hoc est, cuius motivum potest quis efficaciter odisse, & tamen velle peccare: sed talis est attritio. Ergo, &c. Major & Minor declaratur. Quando malum aliquid efficaciter odimus, quod possumus duobus modis evitare, tunc vi odij non determinamur ad vnum certum modum, sed disjunctivè ad alterutrum tantùm, vt patet. atqui infernum possumus duobus modis devitare, vel non peccando, vel post peccatum pœnitentiam agendo: ergo ex metu inferni non determinamur ad non peccandum, sed ad vel non peccandum, vel agendam pœnitentiam: quare potest quis stante metu inferni velle peccare, & postmodum velle agere pœnitentiam.

Respondent aliqui, me ideo determinari ad non peccandum, quia hoc solum medium est absolute in mea potestate, non item est in mea potestate agere pœnitentiam. Sed contra hos bene argumentatur Cardin. Pallavic. Si ex hoc capite determinarer ad non peccandum, sequeretur, quod etiam ex metu gehennæ determinarer ad statim agendam pœnitentiam commisso peccato, quia vel unico instante neglecto, non est amplius in mea potestate postmodum pœnitere. atqui hoc est contra evidentem experientiam.

Aliter ergo respondendum est, & fatendum, quod metus inferni non absterreat à peccato omni possibili efficaciam. Ratio reddi potest à posteriori, & à priori. à posteriori quidem, quia, vt jam dictum, non absterret à continuatione habituali peccati, quia non determinat ad statim pœnitendum. Ratio a priori est, quia infernus non movet ad actum, quo dicam: Nolo peccare, quia infallibiliter sum venturus ad infernum: esset enim actus procedens ex falsa cognitione. Itaque motivum attractionis est Incertitudo decli-

nandi inferni post commissum peccatum, seu periculum non agendi foris salutarem pœnitentiam, & sic adeundi infernum: hoc autem periculum & incertitudo, inducitur per peccatum mortale, sed non per continuationem habitualis peccati per se loquendo: quia aliqua dilatio pœnitentiæ non auget hoc periculum, nec facit, vt sit valde æstimabiliter probabilius, me moriturum sine pœnitentiâ, quàm si statim conarer agere pœnitentiâ: certè in ordine ad hoc augmentum periculi impediendum, paucos movet metus inferni per se loquendo, licet moveat ad non contrahendum de novo reatum, & ad retractandum peccatum actu factum non justificativo. & hinc apparet, quo sensu metus inferni, & amor beatitudinis, possit excludere affectum peccandi, tamen non determinet, ad affectum destruendi statim peccatum habituale, quando scilicet dilatio pœnitentiæ est licita, ad eoque non auget reatum.

983. Obijcitur 3. Si posset dari attritio ex metu gehennæ, tunc metus gehennæ deberet esse motivum univèrsale potens abstertere ab omni peccato mortali; atqui est excogitabile peccatum mortale, à quo non potest abstertere metus inferni. Ergo, &c. Minor probatur. Ponamus enim quod Deus alicui revelet suam prædestinationem, adeoque quod omnia peccata ipsi sint condonanda: ponamus item talem postea dependenter à cognitione hujus revelationis peccare, dicendo: peccabo, quia de fide certus sum me non damnandum. de tali peccato non posset homo dolere ex metu inferni: quia representaretur illi, vt essentialiter pendens à cognitione vera de me non damnando. Hanc objectionem reperi apud Pallavicinum hic n. 133. ex cujus solutione apparebit, eandem huic auctori mentem & sensum esse, qui mihi fuit, cum superius impugnarem peccatum irremissibile, dependens à revelatione de nullo peccato remittendo. ibi inter alia absurda intuleram, quod ex illo philosophandi modo posset dari peccatum impunitum, nempe quod penderet essentialiter à revelatione de nullo peccato puniendo. Postmodum, vt dixi, deprehendi, quod ex simili fundamento solvat Card. Pallavicinus præsentem objectionem, his verbis. [Quod si alicui esset revelata ejus prædestinatio, negamus hunc in posteriori signo ad ejusmodi revelationem posse peccare mortaliter. nam hoc peccatum tanquam reflectens supra illam cognitionem, atque ita tanquam illam essentialiter supponens, esset essentialiter impunitum pœnâ aeternâ, & inhabile ad impediendam aeternam amicitiam, & unionem peccatoris cum Deo, adeoque nec haberet essentiam peccati mortalis, neque esset detestabile ex metu gehennæ, aut desiderio beatitudinis.] Hæc ille. ex quibus vides, hunc auctorem supponere, quod revelatio prædestinationis tantùm se extendere posset ad peccata non pendentia ab illa, & quod sit impossibile peccatum essentialiter pendens ab illa, sicut nos diximus, esse impossibile peccatum essentialiter pendens à revelatione

latione de nullo peccato dimittendo, quia sicut in priori mutaretur essentia peccati, quia redderetur impunitibile intrinsecè, ita in posteriore mutaretur eadem essentia, quia redderetur intrinsecè irremissibile.

Replicabis. In casu posito revelatæ prædestinationis, posset quis discredere revelationi; quod peccatum esset essentialiter pendens à tali revelatione: ergo esset essentialiter impunitibile pœnâ aternâ. R. Vel loquimur de revelatione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, vel de alia quæ sit contingenter divina. si hæc posterior ponatur, cessat difficultas, quia peccatum non penderet essentialiter à decreto Prædestinationis: si verò ponatur revelatio essentialiter divina, tunc dicendum est, vel fore talem, quæ faceret evidentiam in attestante, vel, si esset obscura, deberet proponi tali cognitione & apprehensione, ut non fundaret sufficientem libertatem ad peccatum mortale, sed tantum sufficientem ad veniale.

984. Objicies 4. Si ex vi timoris & odij pœnæ determinatur homo ad vitandum peccatum, quia vitare peccatum est medium ad fugiendam pœnam: ergo si committere peccatum esset similiter medium ad fugiendam pœnam, ex vi ejusdem timoris pœnæ, similiter determinaretur voluntas ad illud committendum: ergo pœna seu metus pœnæ non est in omni casu motivum aptum ad absterrendum à peccato. Ad hanc objectionem jam supra responsum est, cum disputaretur de casu quo quis vel deberet peccare, vel eligere infernum. Refero nunc aliam responsionem, quam adhibet sæpè adductus Recentior. Negat ergo primam consequentiam. Ratio est, quia potest determinari ex timore pœnarum ad fugiendum peccatum, supposito quod vitare peccatum non sit malum rationis, seu inhonestum: unde ex timore eodem pœnæ, non determinaretur ad peccandum etiam quando peccatum esset medium vitandi pœnam, & licet esset medium unicum: quia in peccato apparet intrinseca turpitudine. & quamvis hæc intrinseca turpitudine relucens in peccato, non esset motivum ad vitandum peccatum, esset tamen conditio retrahens. Exemplum. amat quis sanitatem, & ex hoc fine amato determinatur ad consulendum Medicum: dicēsne propterea, quod eodem fine amato consuleret Medicum, si hæc consultatio esset peccatum mortale, quia eodem modo esset medium ad finem, hoc est sanitatem acquirendam? minimè, dices, quia quamvis honestas quæ est in ejusmodi consultatione, non sit motivum ad consulendum, est tamen conditio tollens id (nempe peccatum) quod retraheret voluntatem ab electione medij. Idem dico in præsentī: ex vi timoris illius, quo homo fugit pœnam, non determinatur ad eligendum peccatum mortale, casu quo esset medium ad vitandam pœnam, quia in turpitudine peccati relucet aliquid retrahens voluntatem à positione illius medij.] Hæc ille, & est doctrina verissima.

Illud tamen esset ulterius declarandum, quid vitandum esset homini, cui peccatum apparet unicum medium ad vitandum infernum. Cui enim non posset eligere peccatum, ut jam ostensum est, an propterea esset necessarius ad eligendum infernum? ad hoc nos supra respondimus.

CONTROVERSIA II.

Utrum ad hoc Sacramentum sufficiat contritio ex solo motivo creato, sine motivo Charitatis.

985. Prima Sententia est, requiri actum perfectæ Charitatis. Tribuitur Magistro Sentent. Bonaventuræ, Gabrieli, Majori, Martino Hugoni & Richardo de S. Victore, Medina, & nonnullis doctis viris etiam post Tridentinum.

Secunda Sententia est, non requiri quod actum perfectæ Charitatis, hoc est, justitiam etiam sine Sacramento recepto, requiratur actum dilectionis Dei minus perfectum, quod non habeat etiam pro fine Cui. tamen simul movetur à metu pœnæ vel turpitudine peccati, abique motivum charitatis respectu talis actus, est tantum motivum parziale & inadæquatum, quod hic & nunc in absentia alterius motivi non moveret. Hanc Sententiam docuit Franciscus Sylvius apud Card. de Lugo d. 5. s. 9. qui dicitur esse contra omnes Theologos, & contra Tridentinum. Nihilominus hæc Sententiam resistit Eminentissimus Card. Pallavicinus hæc cap. n. 140. ubi eam mordicus defendit, inquires oppositam Sententiam (communem aliorum) impugnare tum Scripturæ, tum Patribus, tum Thomæ, tum Concilio Tridentino, tum ratione. Verum hæc suâ tam liberali censura, hæc deus aliquid non obtinuit (quod scio) quam ut eandem sententiam in eundem retorquerent duo RR. P. Elparza, & Hispanus alius, ex eadem uterque Causa theologica. Citat Pallavicinus pro sua Sententia ex Scholasticis Henriquez & Valentiam. Illi duo Recentiores eosdem illi tripiunt, obediētes aliam esse eorum mentem, & credē, ut uterque contrariam & communem Sententiam tenet, ut totum contextum legenti parebit. Videatur P. Valentia disp. 7. q. 8. puncto 4. §. 1. *madvertendum autem est. C. seqq. punctis ipsi quæ habet q. 1. puncto. 3.*

986. DICO, ad Sacramentum Penitentia sufficere contritionem, cujus ne quidem parziale motivum sit motivum charitatis, adeoque habere dolorem ex metu inferni, vel amore præsentis, vertendo ad honestatem objectivam talis contritionem. Non requiri Contritionem perfectam & sufficientem, adeo certum videtur post Tridentinum, & P. Elparza indubitanter dicat esse de fide. adeo certam judicant, ut inde inferant contra Thomam Sanchez, Suarez & alios, ne quidem in

articulo mortis obligari aliquem ex Charitate erga seipsum ad eliciendam contritionem, quando potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficere attritionem cognitam.

Probatum autem imprimis ex Tridentino *sess. 14. c. 4.* jam sæpè citato, ubi distinguens Attritionem à Contritione, ait, quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, tamen in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam percipiendam disponat. Ratio autem est, quia alioquin Sacramentum Pœnitentiæ nunquam justificaret, sed semper inveniret hominem jam justificatum per Contritionem.

Probatum jam Conclusio contra secundam sententiam 1. & meo iudicio efficaciter ex Tridentino loco cit. ubi postquam dixisset, Contritionem perfectam extra Sacramentum justificare, deinde accedens ad declarandam Contritionem imperfectam, ejusque motivum, prout sufficientem ad justificandum cum Sacramento, sic loquitur. [Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ, declarat (Sacra Synodus) esse donum Dei & Spiritus Sancti impulsus &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ &c. tamen cum ad Dei Gratiâ in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.] Ecce aliud motivum non requirit, quàm vel turpitudinem peccati, vel metum pœnæ &c. nullum verbum habet de motivo dilectionis Dei tanquam finis *CVI.* quod tamen tacendum non erat, sed exprimendum, si requireretur, alioquin totam ferè Ecclesiâ graviter decepsisset.

Respondet Pallav. n. 147. Concilium loqui non tam de ipso actu attritionis formali, quàm de primo motivo, per quod incipimus disponi ad attritionem, in qua tamen aliud perfectius motivum includatur: & hoc putat colligi ex eo, quòd Concilium afferat exemplum Ninivitarum, qui non nisi per Charitatis affectum justificationem consequi potuerunt.

Sed contra hanc responsionem pugnant luculenter verba quæ mox subjicit Tridentinum, nec ea debuisset adversarius dissimulare. [Quamobrem, inquit, fallò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absquè bono motu suscipientium Gratiâ conferre, quod nunquam Ecclesiâ Dei docuit, nec sensit.] Ecce! quàm clarè dicat, se locutum esse de attritione, prout sufficit ad Sacramentum. Dicat nobis Pallavicinus, qui fuerint illi Catholici Scriptores, quos redarguebant Hæretici, quasi vellent, Sacramentum justificare sine bono motu? & quos hic defendit Tridentinum? proculdubio non illi quos retuli pro prima sententiâ, docentes, requiri motivum dilectionis, hos enim nec hæretici carperant, nec Tridentinum de hoc motivo verbum dixerat. Nempe illi Scriptores, qui dixerunt, sufficere metum inferni.

Exemplum Ninivitarum potius nocet Pallavicino quàm patrocinetur. Si enim Concilium requireret ad Sacramentum Pœnitentiæ talem actum, quo justificati sunt Ninivite, requireretur perfecta Contritio, quod est contra ipsum adversarium. Ninivite ergo adducuntur ad ostendendum, dolorem ex metu pœnæ conceptum esse laudabilem, & illos fuisse misericordiam consecutos, impediendo & avertendo pœnam everisionis: an autem fuerint justificati per contritionem perfectam subsequutam, nihil definit Concilium.

Uterius, quòd Tridentinum in cap. 4. agat de attritione, non prout est quædam dispositio remota, ut interpretatur adversarius, sed quæ sit pars Sacramenti, est luce clarius, inspiciendo totum contextum & processum Tridentini. Nam cap. tertio, cujus titulus est: *De Partibus & fructibus hujus Sacramenti:* docet Materiam esse pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem. Deinde aggreditur declarare singulas partes, seu actus pœnitentis, & capite 4. explicat Contritionem dicendo: *Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet.* Ergo in hoc capite loquitur Concilium non de attritione aliqua remotè dispositiva, sed de ea, quæ unà cum cæteris partibus Sacramenti justificat. Dividit enim illud caput in duas partes, quarum prima agit de Contritione in genere, vsque ad illa verba: *Docet præterea.* Inde incipit secunda pars capitis, & declarantur membra dividentia illud genus Contritionis: ac primò explicat Contritionem perfectam, deinde imperfectam seu Attritionem. Ergo cum Tridentinum initio capitis dixerit, Contritionem in genere esse partem hujus Sacramenti, sequitur evidenter, species illius postea explicatas, esse ex mente Tridentini partes ejusdem, & singulas quidem sufficientes.

Neque adversarium quidquam juvat, quòd Concilium utatur verbo *Disponit.* hoc enim esse intelligendum de dispositione proxima & per modum partis, patet manifestè legenti contextum. Nam tribuit illi vim disponendi ad gratiam cum Sacramento talem, qualem illi negat extra Sacramentum: atqui extra Sacramentum habet vim disponendi remotam: ergo tribuit illi vim disponendi proximè, quæ est per modum partis.

987. Probatum Conclusio 2. ad hominem. Si ad Sacramentum requireretur actus conceptus ex motivo Charitatis, talis actus esset justificativus etiam extra Sacramentum: atqui Adversarius fatetur, sufficere ad Sacramentum imperfectiorem actum, qui extra Sacramentum non sit justificativus: ergo doctrina adversarii sibi non coheret. Sequela probatur. Nam omnis Contritio charitate perfecta, extra Sacramentum justificat, ut definit Tridentinum loquens de tali actu indefinitè, & nullo factò discrimine, an præter motivum Charitatis habeat adjunctum aliud motivum inferius necne. atqui omnis actus habens motivum charitatis, est actus charitate perfectus: ergo &c.

Sed

Sed neque ex S. Scriptura potest colligi aliquod discrimen, vbi bene notat P. Esparza: Quando enim dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: plus non requiritur, quam conversio ad Deum tanquam finem CVI. hoc autem præstat actus quem requirit Pallavicinus, non enim vult sufficere quemcunque imperfectum amorem Dei. Quod ut omnibus constet, necessarium est ejus propria verba referre, quibus n. 148. declarat, in quoniam perfecta & justificativa Contritio distinguatur ab Attritione ad Sacramentum requisita, tametsi utraque sit ex motivo Charitatis. sic loquitur. [Distinguiamus, inquit, illas hoc pacto. Duobus modis potest quis velle amicitiam Dei efficaciter. primò appretiando Deum secundum ipsum affectivè supra omnia alia bona possibilis: secundò, appretiando quidem valde ipsum Deum secundum ipsum; & ex alia parte parvi appretiando omnia alia bona Deo opposita, quatenus hæc omnia habent adjunctam magnam malitiam, eò quòd inferant jacturam beatitudinis aeternæ, & cruciatu aeternos, ità ut ex his omnibus simul cõsideratis præferat amicitiam Dei omnibus bonis oppositis. Ille primò amor est valde perfectior: totus enim refunditur in magnitudinem bonitatis divinæ, quæ tanta est, ut quancumque esset bonitas opposita, mereretur illa huic præferri propter suam infinitatem, & ex isto amore sequitur Contritio, quæ dicitur perfectus dolor &c.] Deinde declarat attritionem quam ille ad Sacramentum requirit & dicit, quòd etiam sit amor Dei efficax, quia disponit voluntatem ad semper volendam efficaciter amicitiam Dei, quia peccatum semper assert malum pœnæ, & privationem beatitudinis. [Non est tamen, inquit, hic amor Dei super omnia; possimus enim cum hoc amore conjungere majorem amorem alicujus objecti disparati: sed hic excessus amoris non est offensivus Dei, quia semper sumus parati ad relinquendum illud bonum, si Deo displicuerit.] & paulò post. [Sicut quis dicitur velle efficaciter emere gemmam, si velit dare totum id quod videt necessarium pro emptione gemmæ, licet non amet gemmam super omnia alia bona, ità quis dicitur velle efficaciter amicitiam Dei, & abstinentiam à peccato, etiamsi non amet hæc bona secundum ipsa super omnia, dummodo ità amet, ut præferat omnibus, quæ sunt, vel possunt esse necessaria ad illorum acquisitionem] Hæc ille. Quibus quidem declarat, dari posse unum Dei amorem altero perfectiorem etiam quoad extensionem (quod nemo negat) sed non probat, hunc posteriorem non sufficere ad Iustificationem: si enim ad justificationem extra Sacramentum non sufficit amor Dei præferens Deum ut finem CVI omnibus oppositis solventibus illius amicitiam, sequitur, ad Contritionem justificativam extra Sacramentum requiri, ut ex suo tendendi modo excludat affectum ad omne peccatum veniale, quod est contra omnes theologos. Neque credibile est, in antiqua lege neminem ju-

stificari potuisse sine tanta contritionis probatione.

988. Probatur Conclusio 7. Ex doctis adversarij redditur aut difficilis, aut valde incertus valor confessionum, quæ communiter sunt bonæ fide: hoc autem non est conforme Providentiæ Redemptoris nostri, ad quam spectat, ut pharmaca ab eo instituta pro reparacione nostre naturæ, profint communiter illis, à quibus bonæ fide vsurpantur, ne vllus qui damnatur possit tendere probabilem ignorantiam, ratione quæ non adhibuerit media necessaria ad animæ salutatem.

Respondet adversarius negando sequenti. [Quis enim, inquit, qui serio concipit Deum summum bonum, & summè nobis beneficium, ac eumque confugiens tanquam ad Justitiæ & misericordiæ fontem, & paratum reconciliare vltimos inimicos, eoque in filios adoptare, non ratiore ad aliquem amorem illius, ac proinde ad aliquam displicentiam quòd tantam bonitatem ostendit?

Sed contra. Concedo ex tali conceptu prævio, resultare aliquem affectum amoris, sed displicentiam aliquam peccati: sed hoc propter talis affectus in omnibus resultet ad illam prævio cognitionem, evidenter sequitur, talem affectum non esse affectum liberum, sed necessarium: ut quoniam si est affectus liber, & quidem valde obsequiosum illius doloris conceptu ex metu gehennæ, unde quæso tam fidenter supponit adventum, eum in omnibus resultare? Ex eo quòd omnes soleamus oculos festinantissimè claudere, si pulvis aut musca involat in oculos, quis est qui non ferat illam oclusionem non esse motum liberum, ex eo quòd ad alterius injuriam experiamur omnes motum primò primùm ad vindictam, quæ est, qui non inferat esse motum necessarium & impedibilem? Pari modo quando Deus bonus apprehenditur sine vlllo malo admixto, item quando in peccato apprehenditur formalitè, & aliqualiter divina, sequitur necessario, & aliqualiter amor Dei, & aliqua displicentia peccati, sed talis qui est necessarius, & potest consistere cum actuali voluntate peccandi. De hac displicentia, & de hoc amore non est controversia, quia nemo illam negat.

Solvuntur obiectiõnes.

989. Obijcit Pallavicinus 1. Textus Scripturæ, quos ait esse valde manifestos. ex 1. Cor. 13. *Qui non diligit, manet in morte.* & ex 1. Cor. 13. *Sine Charitate nihil sum.* & ad 1. locum. *pernitentiæ daretur ibi esse Sermonem de actu charitatis erga Deum, fore intelligendum de actu charitatis perfectò & justificativo, (& sic aquæ est applicandus adversario) & ab illa regula esse exceptum, quo quis vitur privilegio Sacramenti pœnitentiæ, prout supra ex P. Valentia notat.*

Deinde accipitur ille locus etiam de Charitate præscindendo ab actu & habitu, alioquin infantes baptizati ante usum rationis, manerent in morte. **§. 2.** ibi sermonem esse de dilectione proximi, quando graviter obligamur ad opera Charitatis. **§. 3.** ad 2. locum, sensum esse, quod quæ adhibemus ad obtinendam gratiam (quæ in Scriptura sæpè nomine Charitatis venit) si reipsa Gratia non obtineatur, nihil sint. Quod si quis velit illum locum de actu Charitatis accipere, intelligendus est S. Paulus, sicut in responsione I. S. Joannem interpretati sumus.

Objicit 2. Varia loca S. Augustini, ad quæ vno verbo responderi potest, S. Patrem loqui de amore perfecto, vel de inchoato (prout in omni virtuoso actu inchoatur) accedente Sacramento, quod ex speciali privilegio æquivalet amori perfecto.

Objicit 3. Auctoritatem S. Thomæ varijs in locis, & per longos discursus conatur in suam Sententiam trahere. **§. 2.** Breviter omnia adducta ideo nihil probare, quia probarent, confessionem non valere, nisi sit facta in statu Gratiæ, quod nec adversarius admittere potest. Vnde suspicatur Recentior Hispanus, omnia illa testimonia quesita fuisse desiderio inveniendi præconceptam opinionem. P. Esparza ait, clarum esse legenti totum textum bene longum, S. Thomam aliter sentire quàm velit Adversarius. Alij addunt, non satis constare de sensu S. Thomæ; & cum scripsit ante Tridentinum, mentem Tridentini potius attendendam esse. Ego addo, textus omnes allatos esse ex Commentarijs in 4. Sentent. nempe *dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. & dist. 14. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4.* nullum verò ex Summa.

990. Objicit 4. Auctoritatem Tridentini, quod conatur adversarius in suam Sententiam detorquere. Itaque Tridentinum *sefs. 6. c. 6.* describens præparationem hominis nondum baptizati, (& eadem est ratio de illo qui vult justificari per Sacramentum pœnitentiæ) ad justificationem docet, nondum baptizatos ad justificationem disponi, dum Deum tanquam omnis Justitiæ fontem *NB. diligere incipiunt.* & statim subjungit: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. quibus verbis putat adversarius luculentissimè indicari, quod odium peccati debeat esse ex motivo charitatis, eò quod prius dictum fuerit, quod Deum diligere incipient. **§. 1.** Concilium non dicere, quod diligant (prout requirit adversarius) sed diligere incipiant. quod optimè convenit dolori ex metu gehennæ concepto, & procedenti ex actu fidei, quo credimus, (sunt verba Trid. *ibid.*) vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divini Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum

sibi propter Christum propitium fore. ad hunc, inquam, actum fidei & spei, si æquatur odium peccati, ex metu gehennæ, & amore salutis æternæ, tale odium est inceptio amoris, hoc est, disponens ad perfectum amorem Dei, imò in aliquo sensu est simpliciter amor Dei, vel procedit ex amore Dei, non quidem ut finis CVI, sed ut finis QVI, hoc est, amatur per illum Deus ut nostra beatitudo, & finis promissus. Porro bene advertit P. Esparza, non sine causa dictum esse à Concilio: *per odium aliquod & detestationem*: scilicet vagè & indeterminatè: quia videlicet nondum convenerat inter Patres Concilij tempore Sessio- nis 6. de qualitate illius odij, de qua diu multùm- que disputatum est inter ipsos. ut constat ex actis Concilij. Convenerunt autem denique *sefs. 14.* & tradita est vltima determinatio ac expositio illius suspensivæ indeterminationis. Huic ergo posteriori determinationi ac expositioni clarè, quam pro nobis apertè stare supra ostendimus, insistendum est, ubi disertis verbis dicitur, Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & communiter concipitur ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, esse donum Dei, & impulsus Spiritus sancti, & disponere cum Sacramento ad gratiam. Et hoc quidem ait se definire contra hæreticos, qui calumniabantur Catholicos, quasi non requirerent bonum motum ad Sacramen- tum. Hæretici autem nunquam dixerunt, actum præcedentem ex motivo dilectionis, quantumvis partiali, non esse bonum motum, sed hoc dixe- runt de actu procedente ex solo metu gehennæ. Sanè si hæretici illud prius dixissent, debuissent Concilium vel maxime illos erroris redarguere ex eo, quod Catholici requirant motivum dile- ctionis; vnde longè expeditius contra illos probasset à Catholicis requiri ad Sacramentum Pœni- tentiæ bonum motum pœnitentis.

991. Contra id quod diximus, Concilium in *sefs. 6.* per illa verba: *incipiunt diligere*: non exigere majorem amorem, quàm amorem Concupiscentiæ. hoc est, Dei ut finis QVI, qui amor continetur in spe & odio peccati, ut impeditivi nostri vltimi finis, contra hoc, inquam, replicat Card. Pallavicinus, quia Concilium exigit amo- rem Dei ut fontis omnis Justitiæ; quando autem amamus Deum ut bonum nobis, non amamus ut fontem omnis Justitiæ, hoc enim spectat ad Charitatem. **§. 1.** Concilium non exigit ipsum amorem, sed inceptionem talis amoris, quod suffi- cienter sit tum per amorem Dei, ut finis QVI, hoc est, per amorem & desiderium divinæ amicit- iæ, & ejusdem justitiæ timorem, quo sensu dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* tum per quan- dam inclinationem erga Deum ut finem CVI, quæ inclinatio est quidam motus prævenièns exercitium libertatis, & habet rationem gratiæ excitantis, & vel semper vel communiter resultat in peccatore, quando præcedunt illi actus, quos ibi Trid: recenset regulariter præcedere pœni- tentiam ad baptismum requisitam, scilicet, ad ali-

quod odium peccati indeterminatè sumptum. Ergo etiam concederemus, Deum vj fontem omnis Justitiæ non posse diligi, nisi vt finem CVI, nihil nobis obesse Concilium. Respondeo tamen 2. falsum omnino esse, quòd quando Deum amamus vt nostrum finem QVI, non amemus eum vt fontem omnis Justitiæ, hoc est, omnis Gratiæ sanctificantis, & reddentis capacem beatitudinis; non enim potest Deus à nobis obtineri vt finis QVI, nisi prius ab ipso tanquam fonte obtineamus gratiam: quicumque autem amat finem, amat omnia media necessaria: ergo cum Deus vt fons Justitiæ sit medium necessarium ad seipsum vt finem QVI à nobis obtinendum, evidens est, quòd amando Deum vt finem QVI, amemus etiam vt fontem omnis Justitiæ.

Advertendum denique hïc est, quod etiam notavit Hispanus, per illud verbum, *Disponuntur*, Concilium enumerat omnes actus, qui *ordinariè* & quasi regulariter præveniunt Justificationem peccatoris; & propterea dispositionem quæ continet omnes illos actus recensitos, nunquam dixit, esse *necessariam*; imò cum recenset actum Timoris, quo peccator divinæ Justitiæ terroribus vtiliter concutitur, non potest Concilij mens fuisse, omnes & singulos actus ibi recensitos exigere, vt necessarios necessitate medij ad salutem; non enim videtur congruè dici posse, ità esse necessarium necessitate medij timorem divinæ Justitiæ, vt si quis ex beatitudinis desiderio, immemor penarum vellet Deo reconciliari, non obtineret justificationem, neque probabile est, nullum hominem vnquam fuisse, qui potius traheretur spe præmiorum quàm timore penarum.

992. Objicit aduersarius s. rationem, quam ait validissimam. [Videtur, inquit summè incongruum, vt cum Deus statuerit, neque conferre habitum Fidei adulto sine præcedente actu fidei, neque Spem sine præcedente actu Spei, velit tamen conferre Charitatem sine præcedente actu Charitatis. Gravissimè fallor, nisi hoc argumentum dupliciter retorqueri possit in suum auctorem, & primò quidem sic. Docet Pallavicinus in tract. de Fide, quòd quando infidelis elicit primum actum fidei, statim ipsi infundatur habitus fidei, etiam si non justificetur, idem dicit de actu Spei. Infero. Si ab habitu Fidei & Spei licet argumentari ad habitum Charitatis, tunc ad infusionem habitus Charitatis requireretur præuius actus Charitatis tam perfectus, vt infundatur statim habitus Charitatis, & sine tali actu prævio non infundetur ne quidem in Sacramento, sicut ad actum Fidei & Spei infunditur habitus Fidei & Spei, & sine his prævijs non infunditur, ne quidem in Sacramento: consequens est contra aduersarium, quia talis actus esset justificativus, qualis tamen non prærequiritur ad infusionem habitus Charitatis in Sacramento. Secundo sic. ad infusionem habitus fidei non sufficeret actus fidei imperfectus & impurus, non acquiescens soli revelationi & veracitati, sed innixus insuper motivo

scientiæ vel opinionis, tanquam motivo peccati: ergo nec ad infusionem habitus Charitatis sufficit actus Charitatis imperfectus, vt vult aduersarius. Ergo argumentum nimium probat. Respondeo rectè, negando paritatem, disparitas est evidens. 1. nam ideo prærequiritur actus Fidei & Spei, quia sunt prærequisiti ad actus aliarum virtutum supernaturalium; nam fides est instrumentum, quo Deus erga hominem exercet suum magisterium, cumque instruit; quem finem & quibus medijs eum quærere debeat: Spes autem exercet animum & proponit probabilitatem finis conueniendi, sine qua homo non adhiberet media ad finem. Aliter se res habet in Charitate, sicut conueniendi actu possunt exerceri actus aliarum virtutum, & apud omnes certum est. Disparitas est 2. quia virtute Sacramenti, quo merita Christi nobis applicantur, & profunt ex opere operato, debet tunc suppleri aliquis defectus alicuius perfectionis, seu dispositionis, ex parte suscipientis, quæ aliàs requireretur, & requisita fuit in veteri lege, & hunc dicimus esse defectum Charitatis.

993. Objicit 6. & virget prius argumentum. Tridentinum dicit, Justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ, & donorum quibus in eo inimico amicus: atqui non voluntarie sit amicus, qui nullo modo amat. Et certè cum ad amicitiam requiratur vt alteri afficiamur in ratione finis CVI, non potest esse dispositus ad amicitiam divinam, qui nullum talem affectum habet erga Deum. Sanè in peccato præcipua malitia quam agnoscunt Scholastici, est auersio: Deo in ratione finis CVI: sub qua ratione ipse est optimus, & magis meretur amorem, quàm sub quacunque alia ratione, hoc est, quatenus est bonus nobis. Ergo peccatum non debuit deesse nisi per oppositam conversionem ad eundem Deum tanquam ad finem CVI. Ità ille. Hæc argumentatio vel probat requiri cum Sacramento, adeoque semper actum perfectum Charitatis, adeoque per se justificativum, vel probat ad infusionem Gratiæ etiam extra Sacramentum sufficere actum amoris imperfectum, (vtrumque negat ipse Pallav.) vel nihil probat, quod verum est. Respondetur enim, satis voluntarie recipi amicitiam habitualem Dei ab eo qui eam libè desiderat, & elicit in hunc finem efficacis propositionem honestum ac Deo placens, nunquam Deum graviter offendendi: hæc dispositio licet sine Sacramento non sufficiat (prout nec sufficit actus quem requirit Pallav.) sufficit tamen cum Sacramento, ad hoc institutum, vt consuleretur infirmis nostræ in eliciendo actu Charitatis perfectio.

994. Objicit denique aliud argumentum. [Quis, inquit, potest vel potius exemplum. [Quis, inquit, potest congruè dispositum ad impetrandam non tantam veniam sed amicitiam Principis ejus offendere, qui sic peteret veniam. *Displicet mihi, quæ offendit, eo quod meruam à te parari, certum autem tua displicentia & de tua auersione gratiæ sui malum afficitur.*

CONTROVERSIA III.

Virum Dolor debeat esse prior naturâ vel tempore ante confessionem.

995. **A**ffirmat P. Conink & Layman, sed cum communi Theologorum negandum est, esse necessarium ad valorem Sacramenti, ut dolor villo modo præcedat confessionem, sed fieri posse, ut tempore sequatur confessionem. Probatur, tum solvendo fundamentum contrarium, tum ex praxi fidelium à nemine improbata: solent enim dolorem subungere confessioni, nec Confessarij sunt solliciti, an dolor præcesserit: neque etiam exigunt à penitentibus, ut catu quo dolor secutus sit, instituunt novam confessionem compendiosam & summariam peccatorum prius enumeratorum, ut requirunt adversarij.

Obijciunt. Si dolor non præcedit confessionem, non potest explicari quomodo fiat sensibilis per illam. Recentiores aliqui docent, hoc non esse necesse, quia dolor non est assumptus in ratione sensibilis, neque constituit Sacramentum in ratione signi sensibilis, sed in ratione causativi Gratiæ unâ cum cæteris partibus sensibilibus. Respondeo tamen hoc facile posse explicari. Nam ad hoc ut A. fiat sensibilis per B. satis est quod B. sit signum sensibilis alicujus habentis connexionem cum A. & cum B. tanquam suis effectibus: v.g. si dicam alicui *Discede, quia volo studere*: hæc verba reddunt sensibilis studium subsequens, hoc est, præbent argumentum sensibilis inferendi studium subsequens, hoc modo: Petrus dixit, se velle studere, & est homo verax: ergo studet. Ratio est, quia illa verba sunt signum voluntatis, quâ non solum vult affirmare exteriùs, sed etiam quâ vult reipsâ studere, adeoque studium subsequens habet dependentiam ab eadem causa à qua pendet affirmatio. Pari modo quando dolor subsequitur Confessionem, si tamen habeat connexionem cum voluntate confitendi, cum quâ etiam est connexa confessio, fit per confessionem sufficienter sensibilis, quia confessio non significat quomodo unque voluntatem narranti peccata, sed significat voluntatem narranti in ordine ad obtinendam absolutionem, adeoque significat voluntatem saltem implicitam faciendi omnia necessaria ad absolutionem obtinendam.

Quod si fingamus casum, quod quis in ipsa confessione prodat, se quidem habere desiderium absolutionis, sed non dolere de peccatis, nec habere propositum emendandi (prout sæpè prudens potest esse suspicio) tunc quidem confessio non significaret voluntatem dolendi, nisi valde implicitam & conditionatam, nempe si cognoverit necessitatem dolendi ad absolutionem obtinendam, & ideo tunc Confessarij teneretur instruere, & adhortari ad serium dolorem, qui deinde vi prioris voluntatis ponetur, aut certe si prior voluntas

Titt 2 non

effectum habeo. atqui sub hac forma se offerret Deo quicumque peccator in Confessione, qui pœniteret ex solo motivo metûs. Hoc argumentum probaret imprimis, quod actus Attritionis metu gehennæ ne quidem esset honestus, sed potiùs contemptivus Dei, sicut illa verba offensoris Principem conferentur contemptui habere. Deinde retorquetur argumentum, totidem verbis applicando ad actum quem Pallavicinus requirit, & vult sufficere cum Sacramento, non tamen sine Sacramento. Quis putaret congruè dispositum ad obtinendam veniam & amicitiam, qui diceret Principi. displicet quod te offenderim, & pœnas meruerim, itâ tamen ut defacto nullum affectû habeam, erga te & gratiâ tui, pro casu quo nullas pœnas à te timere possem. atqui taliter se sinit Deo peccator per actum quem Pallavicinus ponit: vel, si alium perfectiorem ponit, nihil deerit illi, quominus justificet, ut supra ostendi. 3. Negando paritatem. disparitas jam est indicata. Vel enim ille actus offensoris Principis esset honestus vel non. si non est honestus, jam non est paritas cum nostro actu, quem ipse Pallavicinus probat contra hæreticos esse honestum. Si autem ille actus ponitur esse honestus, tum iterum est disparitas: quia filius illius Principis non impetravit illi actui tale privilegium, quale Filius Dei per superabundantem satisfactionem & merita infiniti valoris impetravit Confessione Sacramentali.

Plures alias disparitates eleganter assignat P. Esparza his verbis. [Voluntas infligendi pœnas infligibiles ab homine, non convertitur cum voluntate vitandi injurias omnes adversus eundem. fieri namque potest, ut homo injuriatus non puniat injuriantem, tum propter ignorantiam delicti, tum propter impotentiam; unde earum pœnarum odium non continet in se odium injuriarum, & propositum non injuriandi pro omni eventu. Rursus, pœna saltem præcipua infligibilis à Principe temporali, non est privatio gratiæ & amicitia suæ, sed interemptio, confiscatio, exilium &c. unde timor adversus principem temporalem, nullum ex sua natura continet in se respectum ad gratiam & amicitiam ejusdem, nullamque per se præsupponit estimationem illius. Præterea bonitas & perfectio propria principis temporalis, non exercet rationem finis ultimi, aut etiam præcipui respectu metûs quo timetur ejus potentia, & respectu odij injuriarum ex metu: neque metus iste ac odium subordinatur intrinsecè illi fini. Unde fit postremò, ut eidem Principi non placeat absolute talis metus ac odium, nec ipso consulente ac desiderante concipiatur, nisi tantùm comparative, præ affectu de teriore. Omnia autem his opposita conveniunt Attritioni.]



non fuit tam efficax, tunc dolor subsequens fiet sensibilis per continuationem presentiae localis, aut alia signa quae tunc procedunt ex voluntate, quae quis vult auditae adhortatione adhuc perseverare praesens Confessario, & expectare absolutionem; nam talis voluntas expectandi censetur voluntas esse ponendi dolorem, quem jam cognoscit necessarium ad absolutionem quam praestolatur. Et hanc perseverantiam tanquam sufficientem ad reddendum dolorem sensibilem, agnoscit Suarez & Pallavicinus.

CONTROVERSIA IV.

Utrum ad valorem huius Sacramenti sit necessarius dolor & propositum conceptum ex motivo universalis ad omnia mortalia: ubi, an hoc Sacramentum ex hoc capite nunquam possit esse validum & informe.

996. **P**rima Sententia docet, sufficere dolorem ex motivo particulari, hoc est non extendente se ad omnia mortalia. Quoad propositum verò fatetur illud debere quidem esse conceptum ex motivo extendente se ad omnia peccata deinceps perpetrabilia, non tamen esse necesse, ut sit ex motivo extendente se etiam ad peccata praeterita: v. g. commisisti peccatum grave furti & nullum aliud: si doleas de furto ex motivo speciali Iustitiae, & proponas deinceps vitare omnia mortalia ex motivo honestatis quae reperitur in vitando relapsu post factam reconciliationem, eris, juxta hanc Sententiam, sufficienter dispositus, ut confitendo furtum valide & fructuose absolvaris.

Hinc inferunt posse Sacramentum Pœnitentiae aliquando esse validum & informe, hoc est, sine fructu: nempe si habuisses adhuc aliud mortale v. g. luxuria, sed illius non recordareris, & ideo de illo non doleres, nec illud retractares: tunc, inquiunt, Sacramentum esset validum, sed sine fructu gratiae: validum esset, quia essent positae omnes partes constitutivae: esset autem sine fructu, quia negatio retractionis luxuriae esset obex, ne peccatum furti posset dimitti, non enim dimittitur unum mortale sine alio, & nullum mortale sine retractione. Ita sentiunt Suarez, Lugo, Gaspar Hurtadus, Tannerus, Diana, Bonac, Filliucius, Dicastillo, & alij. Citant pro se S. Thomam in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quest. 1. sed immerito. nam ibi S. Thomas ait, posse esse validum sine ullo dolore, quam sententiam retractavit in 4. dist. 23. q. 1. a. 4. ubi ait, Contritionem esse de Essentia Sacramenti.

Secunda Sententia docet, in casu, quo poenitens habet mortale, debere intervenire motivum universale, extendens se ad omnia mortalia. Et quidem hoc motivum universale si se teneat ex parte propositi, hoc ipso etiam est motivum dolo-

ris: impossibile enim est, ut quis amoraliter motivum, & simul advertat ad peccatum se commissum destructivum illius motivi, quod dicitur de peccato ex tali motivo. Econtrario si motivum doloris est universale, etiam erit universale motivum propositi saltem virtualis. Omnia enim fatentur, quod quando dolor est ex motivo universale, non sit necesse elicere propositum mortale, sed sufficiat virtuale, identificatum cum illo dolore. His positis negat hanc sententiam posse Sacramentum Pœnitentiae esse validum & informe. Ita post alios antiquos Vasquez, Conink, Orlavavia, Layman, Turrianus, Fagundes, Atmago, Pallavicinus, Elparza.

997. Hæc Controversia tota pendet de intelligentia verborum quae in Concilio Florentino & Tridentino habentur, ad quae Concilium Florentinum declarare essentiam huius Sacramenti. Non licet possint afferri congruentia, ille tamen verum servient ad convincendum, nisi serviant aperiendum sensum Conciliorum.

Censeo, secundam sententiam esse Conciliorum verbis & menti conformiorem. Probat ex verbis Florentini in Decreto Eugenij 8. *Quoniam*. ubi ait, Materiam huius Sacramenti in eo distingui partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Vt prius advertendum est, dolorem formalem esse posse se extendere nisi ad peccata quae memorantur occurrunt, motivum tamen doloris posse latius se extendere, quia potest esse motivum universale. Hinc colligo, adversarios ex verbis aliter me inferre, quod Florentinum non requirit motivum doloris latius patens, quam pateant peccata commissa, eò quod requirit solum dolorem de peccatis commissis. Non poterat enim exigere dolorem formalem ampliorem, cum non sit possibile, dolere de peccato, quod non cogitatum est commissum. Quapropter mentem Concilij circa motivum doloris, debemus colligere ex verbis adjectis: *cum proposito non peccandi de cetero*. haec verba si sincere spectentur, planè ingenerantur conceptum propositi universale, extendens se ad quodvis peccatum possibile, adeo ut si talis propositum nec peccata praeterita fuissent si illud propositum tunc existisset. Ratio qui impedit est hæc. Quia Concilium requirit universale propositum, quo homo quasi renovaretur ipsum propositum, quod debebat habere antequam peccaret, nempe debebat habere voluntatem non peccandi mortaliter, ex motivo universalissimo, extendente se ad quodcumque peccatum & non tantum ad peccatum habens retractionem relapsus: hoc inquam propositum à quo propositum recessit, debet renovare, quando vult surgere à peccato: atqui non renovaret hoc propositum, si novum propositum ex minus mortali motivo eliceret: ergo debet elicere propositum ex motivo universale.

Confirmatur 1. Quia si verba Concilij li-
ceret restringere ad Propositum universale uni-
versalitate tantum se extendente ad relapsum,
poterit alius restringere magis, & dicere, requiri
duntaxat propositum non repetendi peccata commissa,
adeoque non se extendens ad omnia peccata,
quorum species nunquam commissa est: hoc
autem est contra ipsos adversarios: ergo si verba
Concilij debent accipi de proposito ejusque moti-
vo latius se extendente, quam ad quae se extendit
dolor formalis, nempe ad sola commissa & me-
moriam occurrentia, non nisi merè arbitrariè sit
extensio ad sola peccata habentia rationem rela-
psus.

Quod si dicant adversarii (sicut dicunt) ideo
debere magis extendi propositum, quia alioquin
plus requireretur ad justificationem hominis per
baptismum, qui nullum peccatum personale com-
misit, quam requireretur ad justificationem illius,
qui plurima commisit, nempe quia in adulto, ut
per baptismum justificetur, requiritur propositum
universale, servandi totam legem: si inquam hoc
dicant, nemo non videt, hac ipsa ratione claris-
simè probari, in poenitente requiri etiam propo-
situm hujusmodi universale, alioquin minus re-
quireretur in tali, quam in illo qui nullo commis-
so peccato est per baptismum justificandus.

Confirmatur ulterius. Propositum quod re-
quireritur, debet ex modo tendendi & motivo suo
esse inconjunctibile deinceps cum peccato, ut tra-
dunt Adversarii, praesertim Lugo contra quosdam
(quos sequitur Dicastillo) volentes sufficere propo-
situm ex motivo restricto ad solas species pec-
catorum confessorum: atqui propositum exten-
dens se solum ad peccata futura ex motivo vitan-
di relapsum, non est inconjunctibile, sed conjun-
gibile cum peccato futuro, ut bene advertit Arriaga,
nempe casu quo alicui ex postfacto constaret,
illa peccata quae prius pataverat se commisisse,
revera se non commisisse. ergo tale propositum
non est sufficiens. Aliud exemplum offert Card.
Pallavicinus c. 28. his verbis. [Qui putaret se Sa-
cerdotem exempli gratia, posset in adversariorum
Sententia facere propositum restrictum etiam ex
motivo formali ad peccata habentia turpitudinem
ex dignitate Sacerdotis, utpote quae sola peccata
existimaret sibi possibilia, atque adeo posset facere
tale propositum in sensu composito, cum quo pos-
set conjungi aliquod peccatum mortale, si forte
huic homini patefieret, se verè non esse ritè, &
validè ordinatum.

998. Probatum Conclusio 2. ex Tridenti-
no Sess. 14. can. 4. ubi omnes illos actus, qui requi-
runtur ad Justificationem per Sacramentum Poenit-
entiae, ait esse partes hujus Sacramenti, his verbis:
[Si quis negaverit, ad integram & perfectam pec-
catorum remissionem requiri tres actus in poenit-
ente, videlicet Contritionem, Confessionem, &
Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes di-
cuntur, anathema sit.] Ex quibus sic argumen-
tari licet. Si Sacramentum Poenitentiae potest

esse validum, & informe, sequitur, posse dari
omnes partes Sacramenti, & tamen esse aliquid
requiritum ad justificationem: porro hoc quod
desset, non esset aliud quam actus poenitentis:
atqui hunc ipsum vocat Tridentinum partem Sa-
cramenti: ergo adhuc desset aliqua pars. & ideo
quoties non est fructuosum, non est validum ex
defectu partis.

Responder Lugo n. 94. omnes debere fateri,
quod aliquando per accidens aliquis dolor sit di-
spositio ad gratiam in hoc Sacramento conferen-
dam, qui tamen non sit pars Sacramenti. v. g. qui
recipit baptismum cum effectu gratiae, si deinde
peccaret mortaliter, posset dolere de illis peccatis
commisis post baptismum ex hoc motivo, quod
essent peccata hominis Christiani, quae sola sunt
materia Poenitentiae; nec videtur dubium, quod
ille dolor sufficeret ad valorem Sacramenti, quod
si ille homo baptismum suscepisset absque dolore
de peccatis praeteritis, ac per consequens absque
effectu gratiae, non sufficeret ille dolor ad fructum
Sacramenti: ergo desset dolor de peccatis com-
missis ante baptismum, qui esset quidem dispo-
sicio ad gratiam, non tamen esset pars Sacra-
menti.

Sed contra. Negari à nemine potest, quod
Christus potuerit hoc Sacramentum ita instituire,
ut illius pars essentialis esset non quicumque dolor,
sed dolor ex motivo universalis, & prout nos con-
tendimus de facto esse institutum: quod si ergo Chri-
stus ita instituisset, consequens esset, quod dolor
consistens in indivisibili totus esset pars Sacra-
menti, etiam quando se extenderet ad peccatum
ante baptismum commissum: hinc tamen non
rectè inferres, quod etiam ipsa peccata ante bap-
tismum commissa essent materia Sacramenti: ergo
nec de facto potest ritè inferri, quod peccata ante
baptismum commissa essent materia hujus Sacra-
menti, si dolor de illis, ut nos dicimus, esset pars
Sacramenti. Malè ergo supponit Lugo tan-
quam indubitabile, quod in illo casu sufficeret
dolor de peccatis praesens, ut sunt hominis Chri-
stiani.

999. Probatum denique ex cap. 5. ejusdem
sess: ubi dicitur. [Constat enim nihil aliud in
Ecclesia à poenitentibus exigì, quam ut postquam
quisque diligentius se excusserit, ea peccata con-
fiteatur, quibus se Dominum mortaliter offen-
disse meminerit. Reliqua autem peccata NB.
quae diligenter cogitanti non occurrunt, in uni-
versum eadem confessione inclusa esse intelligun-
tur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:
ab oculis meis munda me Domine.] Ecce! Conci-
lium dicit, in universum peccata mortalia occulta
intelligi inclusa in eadem confessione, & per ean-
dem confessionem peti etiam eorum veniam.
atqui certum est, non peti eorum veniam, quae
quis nullo modo retractat: ergo secundum adver-
sarios aliqua peccata commissa sed non occurren-
tia, non erunt in confessione inclusa: ergo vel
confessio erit nulla, vel si est valida, ideo erit va-
lida.

lida, quia ratione vniuersalis doloris sunt inclusa: ergo ad valorem confessionis ex mente Tridentini requiritur dolor vniuersalis. Ergo, vt verbo dicam, Adversariorum Sententia videtur inherere cortici verborum, nostra verò magis assequi mentem Concilij.

CONTROVERSIA V.

Qualis Dolor & Propositum requiratur ad Confessionem venialium.

1000. Dicendum est 1. Ad validam & fructuosam Confessionem Venialium, non est necessarius dolor aut propositum extendens se ad omnia possibilis Venialia, sed sufficit si propositum excludat voluntatem peccandi mortaliter, & insuper illa venialia detestetur, à quibus petit absolvi. Probatum 1. à posteriori. Nam omnes fatentur, posse vnum Veniale remitti sine alio, & posse confessionem fieri de aliquibus, cum actuali affectu ad alia venialia. Hoc ipsum colligitur ex praxi, quæ ostendit sine scrupulo nos confiteri venialia: esset autem res scrupulis obnoxia, si semper deberet intervenire propositum vitandi omnia venialia, quod esset difficillimum, & supra communes hominum vires, vt magis patebit.

Probatum Conclusio 2. & quasi à priori, vel potius ex communi sensu hominum, à Pallavicino c. 28. n. 282. Ad impetrandam veniam ab offenso duo requiruntur & sufficiunt. primum est, velle efficaciter amicitiam illius à quo veniam petimus: (ecce! propositum excludens voluntatem peccandi mortaliter) secundum, efficaciter excludere omnia illa quorum veniam petimus. Quod autem hoc secundum requiratur (quod aliqui negarunt) probatur. Quia attritio est necessaria pars huius Sacramenti, vt probatum est: atqui attritio quæ est pars, debet esse efficax detestatio peccati commisi, vt probatum etiam est: ergo non sufficit quæcumque inefficax displicentia, vt quidam volebant.

1001. Objicitur 1. Si requireretur modo dicto detestatio & propositum efficax circa omnia Venialia quæ quis confiteretur, & à quibus absolvi cupit, sequitur non posse hominem vnquam confiteri & absolutionem petere ab illis venialibus, quæ commissa sunt ex morali necessitate, siue, ab illa multitudine quam totam erat moraliter impossibile evitare, sicut de lege ordinaria est moraliter impossibile, adeoque defacto nunquam futurum, vt quis per longum tempus abstineat ab omnibus venialibus: consequens est contra praxin: Sequela probatur. non possum enim prudenter mihi proponere non facere, quod certò scio me facturum: atqui certò scio, me sicut ante hac ità deinceps non evitaturum omnia venialia, si redeant circumstantiæ moralem necessitatem inferentes: ergo &c. vnde consequens esse videtur, non requiri respectu venialium detestatio-

nem & propositum efficax, sed sufficere simplicem displicentiam.

Hæc obiectio multis difficilior apparet, quam reip̄a sit, & si rectè attendatur, habet quoddam locum in mortalibus. contingit enim aliquos in certis vitijs ità esse habituosos, vt moraliter certi sint, se iterum lapsuros, nec possint se illi modo erigere ad firmam spem ea diu cavendi, & tamen fatentur Theologi, talem posse absolvi, modò hic & nunc eliciat propositum tale tamque efficax in modo tendendi, vt non possit coniungi cum voluntate peccandi, cum voluntas peccandi sit revocatoria talis propositi: omne enim propositum humanum est revocabile; ac potest potest stare propositum non peccandi cum futuritione revocationis. Pari modo de Venialibus moraliter inevitabilibus potest defacto concipi propositum ex se efficax impossibile, dum perseverat, cum peccato veniali, & intrinsicè sufficiens ad omnia vitanda, quamdiu perseverat; esto certus sim, non perseveraturum; nam hæc certitudo non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum; adeoque illud efficax propositum potest coniungi cum iudicio de futura revocatione, fundata in experientia vel revelatione divina, qualis habetur de morali necessitate peccandi venialiter, expressa in Triad. & suo loco declarata. Sic Petrus, etiam auctò revelatione de futura negatione, poterat tamen, imò tenebatur elicere propositum non negandi.

Confirmatur. Sicut se habet retractatio de & detestatio respectu peccatorum præteritorum, ità se habet propositum respectu futurorum: atqui retractatio præteritorum non est efficax effectivè, sed tantum affectivè, hoc est, coniungitur cum evidenti cognitione quòd non possimus facere, vt peccatum non præcesserit, quæ tamen cognitio non impedit, quominus sit talis avertio, ut si tempore peccati commisi existisset, omnem affectum peccandi excludisset: ergo potest etiam propositum esse affectivè efficax, non obtinens cognitione de morali necessitate peccandi.

1002. Objicitur 2. Si ad Confessionem Venialium requiritur retractatio omnium quæ quis vult subicere clavibus, & quidem si quis, vt solet fieri, se accusat de omnibus in confitendo, sequitur facillimè posse huiusmodi dolorem & propositum revocari per veniale commissum post elicium illum dolorem: vnde iterum confiteatur, tunc Sacramentum fore nullum, quod duntaxat videtur. R. cum Card. de Lugo, quòd quantum illud propositum realiter sit actus indivisibilis, virtualiter tamen sit multiplex, hoc est, magis detestativum illorum Venialium, quæ sunt cetera graviora, magisque deliberata. Vnde licet per aliquod leve veniale revocetur propositum, quoad ea venialia, quæ sunt æqualia, vel etiam leviora illo, quod de novo commissum est, non tamen revocatur quoad graviora, & ideo saltem à gravioribus absolvetur, quia respectu illorum adeo debita dispositio. Declarat hoc Pallavicinus de

plici exemplo. Qui donat Petro causâ mortis totam supellectilem, quam nunc habet, si postea disponat de aliqua parte illius, non censetur revocâsse donationem quoad alias partes. Item si Petrus inerat amicitiam cum Paulo, per voluntatem, qua decrevit nunquam eum offendere, nec in magnis, nec in parvis, etiamsi postea Petrus eum offendat in aliqua minima re, prout est inevitabile inter amicos, non censetur revocata tota illa voluntas, ita ut non remaneat ampliùs habitualiter, & moraliter amicus.

1003. Quia verò contingere potest, ut in certis casibus revocatio voluntatis quoad vnam partem, sit etiam revocatio ejusdem voluntatis quoad omnem partem seu formalitatem, ideo non oberit tradere vnam alteramve regulam, discernendi, quandonam revocatâ voluntate quoad partem censetur esse revocata vel non revocata quoad totum.

Prima regula potest esse hæc. Quando motivum propositi fundatur in ipsa pluralitate rerum quas sibi quis proponit, tunc revocato proposito quoad partem, revocatur quoad totum: v.g. si tibi proponas confiteri omnia tua mortalia, quia aliter non valet confessio, tunc si revocas propositam quoad vnum, censetur revocâsse quoad omnia: item si proponis tibi ad lucrandas Indulgentias præstare tria opera quæ Pontifex requirit indivisim, tunc si revocas propositum quoad vnum, v.g. quoad jejunium, censetur etiam revocâsse quoad cætera.

Secunda Regula. Quando Motivum propositi æquè reperitur in singulis atque in tota pluralitate, & non meliùs aut perfectiùs in pluralitate, quàm in singulis, revocato proposito quoad vnam partem, censetur revocatum quoad omnes: v.g. qui propter honestatem credendi proponit credere omnes articulos cum eadem credibilitate revelatos, si revocat quoad vnum articulum, censetur revocâsse quoad omnes.

Tertia Regula. Si verò econtra motivum propositi ita reperitur in singulis, v. magis reperitur in pluribus, quàm in vno, vel magis in B. quàm in A. & movebat secundùm omnem gradum & vim movendi, tunc revocato quoad vnum seu quoad A. non censetur revocatum quoad cætera. v.g. qui ex motivo liberalitatis magnæ vult donare omnia bona, si revocat quoad vnum determinatum bonum, v.g. fundum A. non propterea censetur revocâsse quoad cætera bona, quia licet non ampliùs velit esse liberalis summè, vult tamen adhuc esse liberalis valde vi prioris voluntatis, quâ volebat esse liberalis summè, postea verò restrinxit, & temperavit. Item, qui sibi proponit esse gratus Petro pro omnibus beneficijs, quæ deinceps accepturus est ab eo, deinde non est gratus quoad aliquod beneficium leve, non propterea revocavit voluntatem quoad beneficia majora; nam quò majus est beneficium, eò major est obligatio gratitudinis, & eò major est ingratitude respectu illius: potest autem aliquis velle esse leviter ingratus, non tamen graviter.

Jam ergo ad nostrum propositum; si quis omnia venialia detestetur ex motivo suscipiente magis & minùs. v.g. quia diminuunt fervorem Charitatis, & plura quidem magis quàm vnum, item vnum magis, quàm alterum, vi talis propositi adhuc censetur detestari ea quæ sunt graviora, etiamsi quoad vnum levius mutaverit voluntatem: quia magis detestabatur majorem diminutionem quàm minorem. Porro hoc ipsum potest contingere etiam respectu Mortalium. Verùm quia qui in vno horum delinquit factus est omnium reus, Jacobi 2. & ideo vnum sine altero non dimittitur, ideo revocato proposito quoad vnum, licet quoad affectum non sit revocatum quoad cætera, quoad effectum tamen remissionis perinde est, ac si quoad omnia esset revocatum.



CAPVT VIII.

DE CONFESSIONE, EIVSQVE MATERIA CIRCA QVAM.

CONTROVERSIA I.

An Iure divino sit obligatio confitendi peccata mortalia dubia.

1004. **N**on est questio de dubio positivo, quando adest probabilis ratio, à qua possit homo prudens moveri ad judicandum, peccatum non esse commissum; tunc enim conveniunt

Theologi, non esse obligationem confitendi, etiamsi adsit non solum suspicio quadam de peccato commissio, sed etiam quadam probabilitas. Quod si econtra haberet homo probabilem rationem, se commississe peccatum, & nullum probabile

bile fundamentum se non commisisse, conveniunt etiam eum tenei confiteri. Vnde quidam Recentior in suis thesibus non rectè confundit hunc casum cum eo de quo est presens controversia.

Quæritur ergo de dubio negativo, hoc est, quando nec pro se, nec contra se habet rationes probabiles, tamen adfint indicia quædam momenti suspicionem seu timorem, an non sit commissum tale peccatum, & hoc est dubium facti. Neque est hoc dubium confundendum cum dubio, quo quis dubitat, an peccatum quod certò scit se commisisse, fuerit confessus: nam tunc etiam conveniunt (excepto fortè Caramuele) esse obligationem confitendi, quia lex manet in possessione.

1005. Tamen ante hac affirmativa sententia ab auctoritate invaluerit, ut ob eam potissimum plurimi subscriberent, hodie tamen negativa sententia non pauciores patronos habet. Affirmativa patronos referre non est opus. Interest referre auctores, qui pro negativa stant. Itaque pro negativa stat imprimis P. Conink d. 7. dub. 8. n. 69. Quamvis non satis consequenter doceat, eum qui scit se peccasse, dubitat tamen an mortaliter vel venialiter, teneri confiteri. Eandem negativam absolutè defendit Caramuel, qui tamen immeritò pro hac sententia citat Joannem Sanchez *Select. disp. 1. n. 12.* nam ibi tradit doctrinam communissimam, scilicet, quòd qui confitetur peccatum dubium, communiter illi adjungat materiam certam, ut non debeat absolutio dari sub conditione [semper tamen, inquit, liberum erit pœnitenti solam materiam dubiam confessioni subijcere, quando certam mortalem non habet, vel in solam venialem fuerit lapsus] hoc est verissimum, sed nihil pro sententia Caramuelis. æquè immeritò citat Baldellum & Salas, qui loquuntur de debito ex justitia commutativa, scilicet, quòd quando dubito, an debeam centum, possim in conscientia judicare me non debere, id quod etiam alij docent, admittentes obligationem confitendi peccata dubia. Eidem sententiæ favet Layman, qui tamen protestatur, se nihil velle decernere, sed alijs considerandum relinquere (& hæc erit etiam mea intentio.) Favet etiam Granadus & Præpositus, qui vocat speculativè probabile, sicut & Arriaga n. 28. dicens, stando in ratione non carere magnâ probabilitate. Eandem probabilitatem agnoscit Palao, dum affirmativam solùm ut veriore tradit p. 9. n. 16. Ultrà hos citat pro hac sententia P. Andreas Mendo P. Antoninum, Tabienam, Paludanum, Petrum Marcantium, Authorem casuum conscientie, Joannem Sanchez in *disp. manuscripta.* Philibertum Marchinum, Josephum de S. Januario, P. Bauri, Terrancinum, Lovanienfes, & alios. Post hos omnes novissimè eam asserit P. Antonius de Spiritu S. in *Directorio Confess. tr. 5. d. 5. f. 2. n. 275.* Hic ipse tamen Auctor priùs tradiderat n. 271. Sententiam tertiam, quâ tollit omnem

materiam disputandi de hoc puncto, nempe docet, quòd si agamus de regimine proprie conscientie, non dentur dubia negativa, semper enim occurrunt rationes aliqua leves, aut graves, juxta quas actiones & resolutiones nostras gubernare possimus. Unde in examine conscientie aliena, aut propria, his debemus regulis securissimis uti. *Der. Juris in 6. reg. 6. Nemo potest ad impossibile obligari.* Ergo, qui fecit, quod potuit, fecit quod debuit. 15. *Odia debent restringi, & favores convenit ampliari.* 30. *In obscuris minimum est sequendum.* 47. *Presumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* 54. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Ergo in dubijs standum est pro possessione, quæ fuerat ante dubium. 65. *Melior est conditio possidentis.* 45. *Inspiciamus in obligari, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Inspiciamus nunc argumenta utriusque partis, cum responsonibus, quæ possunt adhiberi.

Argumenta partis affirmantis obligationem.

1006. PRIMUM argumentum. Ex sententijs oppositis ad praxin spectantibus, illa elateri præferenda, quæ est conformis sensui ac iudicio fidelium, atque ipsi continuè praxi, nec habet contra se rationes enervantes vim praxi, & communis iudicij: sed talis est sententia affirmans obligationem confitendi peccata dubia. Ergo, &c. Major supponitur. Minor probatur, quia propter continuam praxin nullus audeat absolutè contrariam, ut practicabilem asserere. Videntur nempe DD. ex ipso usu & praxi totius Ecclesiæ, cujus initium non agnoscitur, rectè colligi, ab ipsis Apostolis promanasse, ut loquitur Card. de Lugo.

Ad hoc argumentum respondetur in eadem cordatè supponi, quod non probatur. Supponitur continua praxis, quòd peccata dubia negativè fuerint Christiani confessi ex obligatione indubitanter cognita, quod non probatur, nec probari potest: tum quia etiam si ea fuissent semper soliti confiteri aliqui, non probatur, quòd non fuerint alij, qui hujusmodi dubia prædicta deposuerint (ut fieri posse ostenditur) & tanquam scrupulum rejecerint. Deinde non potest probari, quòd etiam illi, qui confessi sunt peccata negativè dubia, id fecerint ex cognita obligatione certa: fortè enim id fecerunt ad melius esse, fortè quia id ab vno doctore audierunt. Tertio non potest probari, quòd illi, qui confessi sunt aliqua peccata, dicendo, se dubitare an fecerint, quòd, inquam, locuti sint de dubio negativo, & non potius de dubio positivo, quatenus habuerunt probabilem rationem se peccasse, & fortè nullam, quòd non peccaverint. Certè hujusmodi peccata solere sub dubio proponi, à fidelibus, plus quàm certum est. Quomodo ergo poterit probari praxis fidelium, quòd

in confessionali distinxerint dubium negativum à positivo? quotusquisque fidelium habet accuratam hujus distinctionis notitiam? Accedit, quòd ex antiquioribus, qui illam sententiam tenuerunt, plerique nisi sint fundamentis inefficacibus, ut posteriores agnoverunt: v. g. quòd in dubio debeamus sequi tutiorem partem; quòd debeamus omnia explicare sicut sunt in conscientia: quòd debeamus omnia confiteri, de quibus ante hoc Sacramentum institutum debebamus elicere contritionem: hæc inquam argumenta sunt insufficientia, quia nimium probant, nempe quòd etiam illa dubia deberemus confiteri, à quibus nos aliqua probabilitas absolvit. Denique supponitur in argumento, quòd nullus DD. audeat contrarium asserere, & praticare, quod falsum esse patet ex allegatis: unde etiam patet, sententiam affirmativam non pollere illà certitudine, quam Suarez & Sanchez illi tribuit, hodie autem communiùs illi negatur.

1007. Secundum argumentum est Card. Pallavicini n. 306. [in dubio, vtrius ex duobus res sit, dividitur à Judice inter eos: ità est faciendum in casu nostro. Si tu non es peccator, gratia Dei est tua: si es peccator, habes debitum carenti illà in æternum, & subeundi infernum. Deus ex sua benignitate permittit, ut in hoc dubio res dividatur, magno cum excessu pro nostra parte. Damus enim aliquid minimum ex nostro, hoc est confessionem peccati tanquam dubij, & Deus obligatur ad aliquid maximum ex suo, hoc est ad veniam peccati, & ad promissionem vitæ æternæ.] Ità ille satis eleganter, an æquè nervosè, subsistit. Non enim video, quomodo hinc probetur obligatio determinata ad confessionem, ut Deus obligetur ad veniam: cur enim non sufficet, ut ex tribus medijs vnum ponatur, vel contritio, vel confessio aliorum peccatorum, vel confessio peccati dubij, & quocunque horum posito, Deus obligatur ad veniam: exigere autem determinatè confessionem peccati dubij, est petere principium, de hoc enim disputatur. Taceo falsum esse, quòd in dubio semper res dividatur à Judice, quid si enim res sit indivisibilis, ut est Beneficium? Si altera pars est in possessione, & agitur in petitorio, actore nihil probante nulla fit de jure divisio, sed relinquitur res Possessori, nisi partes litigantes sponte compositionem inire, & transigere velint. In casu nostro dubius est in possessione innocentia, & quamdiu non probatur deliquisse, non est cur ipse debeat adire Judicem, impositurum illi penitentiam certam pro delicto dubio, sed satis erit, si affectum amicitia exerceat, vel alia peccata confiteatur, ut indirectè absolvatur à dubio, casu, quo fuisset commissum.

1008. Tertium argumentum, quod paucis insinuat Suarez his verbis. [In eo casu, seclusà Confessione tenetur homo habere contritionem de tali peccato, saltè ratione periculi: sed quod est de necessitate Contritionis, est etiam de necessitate Confessionis. Ergo, &c. Illustrat hoc ar-

gumentum Card. Lugo, quem sequitur Esparza. Sacerdotes sunt constituti Vicarij Christi, ad quos peccata omnia deferantur, quæ debuissent ad ipsum Deum deferri: atqui peccata dubia ante institutionem Sacramenti Penitentia debent ad Deum deferri per Contritionem: ergo nunc est obligatio deferendi ad Vicarios Dei etiam peccata dubia, sicut est obligatio deferendi peccata certa, quæ obligatio colligitur ex illis Christi verbis: *Quorum peccata retinueritis, retenta sunt.*

Ad hoc argumentum responderi potest ex Ariaga, majorem non esse vniuersaliter veram; nam in lege antiqua erat obligatio Contritionis in periculo vitæ, quandocunque erat probabile dubium peccati mortalis, ne ille homo se exponeret evidenti periculo damnationis; & tamen in lege Gratia non successit loco hujus obligationis obligatio confitendi peccata hujusmodi, ut supponunt ferè omnes DD. Neque dicas, etiam in articulo mortis defacto esse obligationem confitendi peccata probabiliter seu positivè dubia, ob majorem securitatem & moralem certitudinem justificationis, quam affert Sacramentum, non item affert existimata contritio. Non, inquam, hoc dicas. Nam licet obligemur in articulo mortis confiteri peccata positivè dubia ex lege Charitatis ob majorem certitudinem, hæc tamen obligatio cessaret in casu quo aliunde haberetur talis certitudo; v. g. quia priùs jam illud peccatum positivè dubium erat indirectè delerum per confessionem aliorum peccatorum, ut optimè advertit Card. Pallavicinus c. 32. n. 302. & P. Antonius à Spiritu S. n. 290. Addo ego aliam instantiam. Ante institutionem hujus Sacramenti erat obligatio elicendi contritionem extendentem se etiam ad circumstantias aggravantes peccatum notabiliter, & tamen in hac obligationem non successit obligatio confitendi circumstantias aggravantes. Ergo non est vniuersim vera major propositio. & hæc est prima responsio.

Secundò responderi potest cum docto Recentiore, Christum voluisse, ut ad Tribunal Ecclesie deferantur omnes causæ, quæ priùs debebant ad ipsum deferri, in quantum hæc delatio erat necessaria & utilis ad cognoscendam causam & æquitatem judicij servandam: cum ergo ad Judicium absolutum explicatio dubij negativi planè nihil servare possit, cum Sacerdos ex hoc tantum judicare possit, quàm parùm ipse penitens, qui ne quidem ad probabile judicium se resolvere potest, meritò censemus, nos ad istam explicationem non teneri: Hæc ille Recentior, & meo judicio benè. Et hæc sunt argumenta sententia affirmantis, & imponentis obligationem tam gravem.

Argumenta Sententia negantis.

1009. PRIMUM argumentum desumitur ab auctoritate Concilij Tridentini *sess. 14. c. 5.* quod, ut obviaret Calvini calumnia, quòd obligatio confitendi sit conscientiarum Carnificina, *V v v v* declarat,

declarat, obligationem poenitentis his verbis. [Ex his colligitur, oportere poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere.] Et inferius. [Sed & impium est, Confessionem quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quam ut post, quam quisque diligentius se excusserit, & conscientiae suae sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit:] Jam sic. Peccatorum dubiorum nec est conscientia, proprie loquendo, nec memoria. rectè enim & cum veritate quis de illis dicere potest, se eorum non meminisse, non habere conscientiam: nam meminisse, & habere conscientiam, non sonant primam apprehensionem aliquam non suavisimam, nec meram suspensionem, sed significant Judicium, saltè reflexum de probabilitate rei, & quòd ad sint fundamenta propter quae quis posset prudenter opinari aut scire. Atqui talia non adsunt quoad peccata dubia: ergo eorum non habetur conscientia, nec eorum meminimus: atqui juxta Tridentinum solum obligamur ad confitenda, quorum conscientiam habemus, & quorum meminimus: ergo non datur obligatio confitendi dubia.

Confirmatur. Si Conscientia hic acciperetur prout abstrahit à dubia & certa, complecteretur etiam dubiam positivè, quia nulla fit hujus exceptio in Tridentino, vel si fit exceptio fit per illa verba recensita. Atqui si conscientia dubia positivè non comprehenditur per vocem Conscientiam, & Meminisse, multò minùs comprehenduntur peccata dubia negativè, ut manifestum est, quia magis accedunt ad ignorantiam: ergo Conscientia non accipitur ut Genus ad Conscientiam certam & dubiam, sed accipitur pro specie Conscientiae certae, non quidem evidentis, sed moraliter certae, hoc est, quod ita probabile est, ut pro innocentia nulla stet probabilitas.

Ad hoc argumentum respondet P. Mendo, Tridentinum definitivè id quod certum erat, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, cetera verò reliquissè disputationi Theologorum. Verùm non capio vim hujus responsionis. Si enim Concilium solum id definit, quod certum est, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, quid ergo, quæso, significant illa verba: *constat ergo nihil aliud exigi?* &c. si nihil aliud exigitur: quomodo ergo relinquatur disputationi Theologorum, quòd aliquid aliud exigatur? Deinde: si Tridentinum reliquit hoc disputationi Theologorum, quomodo ergo verum est, quòd continua Praxis & consensus DD. stet pro sententia obligante, & quòd hoc sit signum veritatis & doctrinae ab Apostolis per traditionem acceptae? Hæc mihi conciliatui difficilia sunt.

1010. Secundum, argumentum & meo iudicio optimum est negativum. Nulla obligatio praesertim gravis, est imponenda fidelibus, quae nullà efficaci ratione probatur, sed obligatio confitendi dubia peccata non probatur, ut latè videtur patere ex solutionibus adhibitis: ergo non est fidelibus imponenda. Omitto alia argumenta quae affert P. Antonius à Spiritu S. & P. Mendo, quia puto recipere claram solutionem.

Post hæc scripta occurrit mihi alia probatio, quòd peccata negativè dubia reverà & Theologicè ac etiam Canonisticè loquendo, non sint in conscientia nostra. In cap. fin. de Praescript. dicitur. *Oportet, ut qui praescribit, in nulla temporaria parte rei habeat conscientiam alienam.* sublimo, atqui praescriptioni non obstat, si post eam bona fide captam, superveniat dubium etiam negativum de re an sit aliena: ergo habens tale dubium non habet conscientiam rei alienae: ergo pari modo qui dubitat, an peccaverit, non habet conscientiam rei alienae.

CONTROVERSIA II.

An Circumstantia aggravantes sint necessariò aperienda in Confessione.

1011. Sciendum est 1. tam in actu bono quàm in malo aliqua praedicata dici esse de substantia actûs, seu pertinere ad substantiam actûs, alia verò dici Circumstantias; & licet hæc praedicata aliud non sint quàm formalitates, seu formaliter distincta praedicata, vocatur tamen unum respectu aliorum quasi *substantia* respectu accidentium; quia sicut Substantia est radix accidentium, & praesupponitur ad illa cum aliqua prioritate etiam secundum modum concipiendi, unum praedicatum est quasi prius logicè seu prioritate rationis, vel prioritate secundum subsistentiè consequentiam: v. g. si volo occidere Patrem meum, *homicidium* est praedicatum pertinens ad substantiam actûs, *Parricidium* verò dicitur circumstantia, quia secundum conceptum nostrum parricidium includit & supponit homicidium, sed non econtra. Potest verò contingere, ut in eodem indivisibili actu sint duo praedicata substantialis, eò quòd neutrum habeat ullam prioritatem ad alterum, quòd alibi ostendam, sed hoc nihil facit.

Sciendum est 2. Circumstantias dividi in illas quae mutant speciem peccati, & illas quae intra eandem speciem aggravant; huc etiam spectant per oppositionem illae circumstantiae, quae diminuunt seu alleviant peccatum. Quod attinet ad circumstantias primi generis, non pertinet ad hunc locum, sed in secundo libro tractabitur regulam cognoscendi differentias specificas peccatorum, & quandonam numero multiplicentur. Ad Circumstantias aggravantes pertinet augmentum numeri, quantitatis, intentionis, durationis, advertentiae majoris. Ad diminuentes, v. g. vehementia tentationis, metus ab alio incussus etc.

Supponitur

Supponendum est 3, ex Tridentino constare, quod sint explicandæ circumstantiæ speciem mutantes, item numerum peccatorum. Ratio est, quia aliquin non omnia peccata dicerentur; nam quando circumstantia mutat speciem, hoc ipso sunt duæ species in illo peccato, esto realiter identificentur: item si quis tantum confiteretur duas fornicationes, cum tamen ter fuerit fornicatus, vnum peccatum taceretur.

1012. Restat ergo Controversia de Circumstantiis notabiliter aggravantibus, an illæ sint à penitente manifestandæ, etiam non expectatâ interrogatione Confessarij, v. g. qui furatus est mille, an debeat dicere: furatus sum mille: vel sufficiat dicere: furatus sum summam gravem, sufficientem ad mortale.

Prima Sententia affirmat esse manifestandas circumstantias notabiliter aggravantes. Ità post aliquos antiquos Cajetanus, Dom. Sotus Suarez Henriq. Fagundez, Th. Sanchez, Conink, Tanner, Arriaga.

Secunda negat. Ità S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. in respons. ad 5. quest. ubi sic loquitur. [Quidam dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoria occurrant. Alij verò dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est.] S. Thomam sequuntur plurimi antiquiores apud Dicastillo. ex RR. Toletus, Valentia, Vasq. Zerola, Pellantius, Sayrus, Reginaldus, aliique apud Dianam p. 1. tr. 7. resol. 1. item Card. de Lugo, Palao, Dicastillo, Pallavic.

Tertia Sententia esse posset, (quam videtur respicere P. Esparza,) quæ facit discrimen inter Circumstantias aggravantes. Aliquæ enim tenent se ex parte objecti ejusque reali extensione, vt: major vel minor quantitas rei furtivæ. aliæ verò tenent se vnicè ex parte actûs, vt: major vel minor intensio actûs, major vel minor moralitas seu libertas, proveniens ex minùs vel magis clara cognitione motivorum absterrentium à peccato, aut allucientium ad illud: ac denique brevior aut longior duratio. Priores circumstantias vult esse confitendas, & quoad hoc convenit cum prima Sententia, & addit, illas non esse propriè circumstantias, sed pertinere ad substantiam actûs, adeo vt illis non manifestatis non sit manifestarum sufficienter peccatum, ratione scilicet æquivalentiæ quæ æquivaleret pluribus peccatis numero distinctis. Posteriores verò vult non esse confitendas, & hoc tribuit secundæ Sententiæ, atque has solas vocatas esse circumstantias aggravantes ab illis, qui tempore S. Thomæ & Scoti scripserunt. maxime autem adducit Alexandrum Alensem 4. p. q. 18. memb. 4. a. 3. In hanc Sententiam diu multumque conatus sum me resolvere; sed non potui invenire solidum fundamentum illius discriminis, sufficiens ad solven-

da argumenta occurrentia, & ad tenendam doctrinam consequentiam.

Quod attinet ad Alexandrum de Ales, non est hic Auctor pro P. Esparza; docet enim vnicè, illas circumstantias, quæ transferunt ad aliud genus peccati, hoc est, quæ mutant speciem, non debere vocari circumstantias, sed substantiam actûs, de alijs nihil habet; & ait vnicè, omnes circumstantias aggravantes esse confitendas non minùs quàm speciem mutantes.

1013. DICO I. Non apparet clarum & solidum discrimen inter circumstantias tenentes se ex parte actûs, & tenentes se ex parte objecti. Ità ceteri Authores; & quidem Suarez & Arriaga in terminis movent, sine inconsequentia non posse obligationem confitendi affirmari de posterioribus, & negari de prioribus: hoc solum discrimen agnoscunt, quod v. g. intensio actûs non soleat ita facile dignosci quandonam fuerit notabilis, & excedens communem peccandi modum; ceterum si advertatur, ajunt esse omnino explicandam.

Probat Conclusio. Si esset aliquod discrimen, quare circumstantiæ pertinentes ad objectum actûs, potiùs pertineant ad substantiam actûs, & ideo essent confitendæ præ cæteris, esset hoc, quia qui v. g. furatur mille, licet non committat formaliter mille furta vnus floreni sufficientis ad peccatum mortale, committit tamen æquivalenter, hoc est, committit peccatum æquivalens mille furtis vnus floreni, & ideo licet non debeat nec possit cum veritate dicere: commisi mille furta vnus floreni, potest tamen ac debet dicere: commisi furtum mille florenorum. atqui hæc ratio tota etiam procedit de circumstantiis primi generis, hoc est tenentibus se ex parte actûs: ergo vtroque est par ratio. Minorem probò per singulos circumstantias. & imprimis clarissime de circumstantia durationis: nam singulorum instantium duratio æquivaleret actui mortaliter peccaminoso, & sufficit secundum se ad peccatum mortale. Secundò ostenditur in circumstantia intensiois; & quidem si gradus sunt homogenei, clarum est quemvis gradum secundum se sufficere ad mortale, adeoque actum intensum vt quatuor æquivalere quatuor actibus. Si verò sint heterogenei, non propterea minuitur æquivalentia, cum secundus sit primo perfectior, & si seorsim poneretur, vtiq; ad mortale sufficeret. Tertio ostenditur in circumstantia advertentiæ majoris quàm sit illa quæ requiritur & sufficit ad mortale: nam & illa æquivaleret pluribus advertentijs, quarum singule sine reliquis sufficerent ad mortale.

Alia ratio discriminis assignatur ab alijs, & est hæc. Duratio, Intensio, & major præcognitio, sunt prædicata indifferentia ex suo conceptu ad actum bonum & malum, & perinde augent actum bonum ac malum.

Sed contra. Quando dicis esse indifferentia ex suo conceptu, vel loqueris de conceptu specifico illorum prædicatorum, vel de conceptu generico

generico & abstrahente à respectu & conjunctione ad actum in specie. Si primum, doctrina non subsistit: nam duratio, intensio, & claritas actus mali non potest inesse actui bono, ut patet. Si secundum, nihil est ad rem 1. quia secundum suum conceptum genericum nec sunt bona nec mala: ergo ut sic considerata non augent malitiam & gravitatem peccati: quomodo ergo sunt circumstantia aggravantes? 2. Eodem modo procedit tota ratio de circumstantiis spectantibus ad objectum: v.g. accipere mille, prout abstrahit à conceptu specifico furti, est prædicatum indifferens ad actum bonum vel malum; si enim accipio mille per modum mutui, vel doni, vel depositi, est actus bonus. Item occidere mille homines, abstrahendo à conceptu specifico occisionis factæ privatæ aut publicæ auctoritate, est indifferens, ut jungatur cum occisione honesta vel inhonesta. Item cognoscere plures faminas, abstrahendo à conceptu specifico fornicationis vel adulterij vel conjugis, est prædicatum reperibile in actu honesto æque ac inhonesto. Seposita ergo hac tertiâ & mediâ sententiâ,

1014. DICO 2. Probabilius est, non esse obligationem per se loquendo, explicandi circumstantias notabiliter aggravantes, antecedenter ad interrogationem Confessarij. Probat Conclusio 1. ex Conc. Trident. sess. 14. c. 5. vbi cum dixisset circumstantias speciem mutantem esse confitendas, dixissetque, impium esse dicere, hanc obligationem esse observatu impossibilem, subiungit rationem: [constat enim, inquit, nihil aliud exigere, quam ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminerit: [atqui hoc facit, qui confitetur numerum & species: ergo præter hæc nil exigitur. vel sic: Concilium ait, constare quid à fidelibus exigatur: atqui non constat exigere confessionem circumstantiarum aggravantium (cùm hoc sit valde controversum) ergo non exigitur. vel sic. Nihil exigitur, nisi quod constat exigere, sed non constat exigere confitendas esse circumstantias aggravantes: ergo non exigitur earum confessio.

Card. de Lugo putat posse eludi vim hujus argumenti, dicendo, per verba illa, *Nihil aliud*: non excludi circumstantias aggravantes, sed peccata quæ memoriæ non occurrunt: atqui circumstantiæ aggravantes occurrunt memoriæ, & sine illis non satis integrè explicatur peccatum.

Sed virgeri potest optimè ex can. 7. vbi quasi repetitur doctrina capituli 5. ibi ergo dicitur anathema neganti, *necessarium esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, & NB. circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Ecce! prius loquitur canon de peccatis spectatis quoad substantiam, & ut formaliter distinctis à circumstantiis; & ne quis putaret hoc sufficere, addit doctrinam dogmaticam de circumstantiis, & solas illas exprimit, quæ speciem mutant: quæ additio esset inepta, si jam omnia ea, quæ ad con-

fessionem sufficiant, comprehendisset illis verbis *omnia peccata quæ memoriæ occurrunt.* ergo etiam capite 5. quando dixit, *nihil aliud requiri quam confessionem omnium peccatorum &c.* alludit præterea verba de circumstantiis speciem mutantibus, quasi diceret, nihil aliud requiri, quam confessionem omnium peccatorum quoad substantiam, & circumstantias speciem mutantem; ergo aggravantes ab obligatione exclusit. Sanè si caput 6. cum canone septimo attentè conferatur, apparet vis argumenti.

1015. Confirmatur 1. Alioquin Concilium modo deceptorio locutum fuisset. Si enim Concilium absolute de circumstantiis tacuisset, censeri posset quoad circumstantias nihil voluisse definire, sed scholis examinandum relinquere. At verò postquam Concilium expressè mentionem facere voluit circumstantiarum, & expressè vnicuique genus circumstantiarum, scilicet, speciem mutantium, & de his solis dixit esse obligationem confitendi, præbuit antem rationabilem interdicti, non exigere confessionem circumstantiarum aggravantium, id quod optimo exemplo declarat Augustinus. Si enim diceret Concilium, esse obligationem confitendi peccata, quæ consumantur exteriorius, inferremus non esse obligationem confitendi merè interna. Adde ego aliud simile: si diceret Concilium, esse obligationem confitendi peccata cetera, & nihil adderet de dubijs, sine habitatione concluderemus, non esse obligationem confitendi dubia.

Confirmatur 2. Et maximè ad hominem contra P. Esparza, qui quando agebat de attritione, an debeat esse ex motivo charitatis, partem negativam probavit ex verbis Tridentini, expremmentis totam turpitudinem peccati, & metum inferni, & nullam mentionem facientis motivi charitatis, addiditque regulam generalem his verbis: [Licet non habeat Concilium adjunctam expressè particulam exclusivam alterius motivi, ex sola consideratione turpitudinis, ex solo metu, &c. Perinde tamen accipiendum est, ac si ea particula expressè adjuncta fuisset: quia NB. dum aliud non exigitur, sufficienter excluditur necessitas cuiusvis alterius, & quia in materia dogmatica dogmatica particularis æquivalere universalis, ut fert axioma merito apud omnes receptum, aliter enim vacillarent pleræque definitiones dogmaticæ, siquidem plerumque traduntur absque quomodocumque particulis exclusivis.] Hæc ille: quæ procedunt in casu nostro: & sensus illius axiomatis est, quòd quando Concilium aliquid requirit in particulari, perinde sit ac si diceret: *Et hoc est peccatum, quod requiritur.* Nisi aliunde evidenter contrarium constet, aut se declararet Concilium, quòd de alijs nihil velit statuere. Hoc sibi vult etiam Regula vulgatissima Juris, quam deducunt DD. ex can. 4. dist. 25. *Inclusio unius est alterius exclusio & vicissim.* Alij aliter efferunt & dicunt. In dogmaticis, quando affirmatur unum esse necessarium,

farium, & aliud taceretur, de quo etiam dubitari potest, de hoc negatur.

1016. Probatur Conclusio. 2. Adversarij non possunt tradere ullam probabilem regulam, & in praxi observabilem cognoscendi circumstantiam notabiliter aggravantem: sed sine hac regula sententia illorum est perniciosa potius, quam utilis, ergo, &c. Major probatur, & imprimis nullus adversariorum amplectitur regulam supra indicatam, quasi illa sit pars notabiliter aggravans, quæ secundum se sufficeret ad mortale propter in convenientia ibid. indicata. Itaque Suarez & post eum alij assignant in genere hanc regulam: quando scilicet illa gravitas excedit notabiliter ordinarium modum operandi tali modo circa talia objecta. v. g. Si supponamus unum florenum esse materiam gravem furti sufficientem & requiritam ad mortale, tunc non tenebitur fur explicare circumstantiam aggravantem, si duos florenos furatus est, quia, inquit, duo floreni non excedunt ordinarium modum furandi, utpote qui habet aliquam latitudinem, si tamen acciperet quinque florenos, tunc putat Arriaga esse sufficientem aggravantem, quæ explicari debeat, & à fortiori, inquit, si acciperet quinque cum dimidio, quia licet ille Medius non aggravaret notabiliter, aggravat tamen simul cum alijs respectu unius floreni, quem supponimus esse materiam supra quam cadit aggravatio.

Sed contra. Si ille medius florenus etiam explicandus est: ergo si fur vel unum tertium vltius acciperet, deberet etiam explicare, quod nemo alius dicit, sequela patet, quia vnà cum reliquis etiam aggravat.

Ideo Suarez & alij aliter discunt, & dicunt, modum ordinatum furandi habere quandam latitudinem, intra quam non datur circumstantia aggravans explicanda, sed Confessarius potest illam totam præsumere; sint, exempli gratia, tres floreni: sed si hos notabiliter fur excedat, tunc esse circumstantiam explicandam; adeoque sicut florenus est materia gravis & notabilis, ita si vltra tres florenos adderet unum, excessus esset notabilis, & hunc deberet explicare, & sic deinceps.

Sed contra hoc bene vrget Dicastillo, quia falsum est, quod supponitur, dari aliquem terminum assignabilem furti ordinarij; nam fures furantur datâ occasione plus & minus, sine certo morali termino, & sanè in materia detractionis non capio ullam assignationem certi gradus famæ, qui communiter solet lædi & non vltra. Præterea quæri potest, quomodo debuerint confiteri primi fures alicujus provincie, qui nihil sciverunt de communi consuetudine furandi?

1017. Probatur Conclusio 3. Si Circumstantia aggravantes essent explicandæ, tunc etiam essent explicandæ alleviantes, v. g. quando peccatum fit ex summo metu, ex motu vehementis iræ provenientis ex jure dolore, quando fit alte-

rius dolo, aut vehementi tentatione: consequens est contra praxin: ergo &c.

Ad hanc probationem diversimodè respondent adversarij. Scotus, Canus & Arriaga concedunt sequelam. contra quos rectè ostendit Lugo, sequelam esse absurdam, & contra sensum fidelium: quis enim dicat, maritum qui occidit ex summo dolore alium deprehensum cum vxore in adulterio, non rectè explicare suum peccatum, si præcisè dicat: feci injustum homicidium: quis talem obligabit ad denuò confitendum?

Alij ergo, quos sequitur Suarez, negant sequelam; & quidem Suarez varias dat disparitates, quibus utcumque satisficit plurimum argumento, quo paritatem vigent. Sed non satisficit argumento Lugonis, quod etiam placuit P. Dicastillo. Sicut enim non licet in confessione minuire aliquid ex materia quæ est necessaria ad integritatem confessionis (qualis per adversarios est circumstantia aggravans) ita non licet opponere aliquid pro materia absolutionis, quod non est materia idonea: atqui hoc faceret, qui circumstantiam alleviantem non exprimeret: ergo &c. Major est certa. Minor declaratur. nam tacendo illam circumstantiam, apponem illam gravitatem quam peccatum defacto non habet, sed haberet si talis circumstantia non adfuisset: sicut tu ais, tacendo circumstantiam aggravantem, non exprimi omne id quod est materia necessaria confessionis.

DICES. Qui confitetur homicidium præscindit ab illis circumstantijs: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam idoneam, modo in alterutro membro verificetur. R. Pari modo & nos dicimus. Qui confitetur: *furatus sum magnam summam*: præscindit à floreno & mille: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam necessariam confessionis, quæ inest huic furto, in quocumque membro verificetur.

Solvuntur Objectiones.

1018. Objiciunt 1. Si Circumstantia aggravantes non essent confitendæ, tunc qui furatus esset mille vno furto, satisfaceret dicendo: furatus sum florenum. quia reliquam summam, utpote solum aggravantem, non tenetur dicere, & præterea furtum mille floren: est etiam furtum unius, adeoque talis confiteretur verè suum peccatum, & non aliud non commissum. R. Hæc formalitas: esse furtum mille florenorum: non est circumstantia aggravans respectu hujus formalitatis, esse furtum unius floreni tantum. sed respectu hujus: esse furtum unius floreni, cum præcisione an unius tantum vel plurium, quia cum priore formalitate non potest conjungi, cum excludatur formalissimè, sed cum posteriore. Porro qui diceret: *furatus sum unum florenum* speciatò communi modo loquendi, non significat conceptum præcisivum, sed limitativum & restrictivum; & ideo in rigore talis non esset confessus suum peccatum, quod non fuit furtum unius tantum.

tum florenti: & sic negatur sequela: deberet ergo uti terminis significantibus furtum ut praesens dicitur ab uno vel pluribus: v.g. furatus sum summam gravem. quae verba sunt apta excitare in Confessario desiderium sciendi, quanta fuerit ea summa: hoc enim necessarium est, ut Confessarius possit interrogare, si quidem iudicet opus esse, ad cognoscendam sufficientem dispositionem poenitentis, eumque debito modo instruendum de facienda restitutione; ad quam interrogationem habet Confessarius jus, & poenitens tenetur tunc respondere, non quod illa explicatio sit materia necessaria ad valorem Sacramenti ut bene notavit P. Dicastillo, sed quia alioquin vellet impedire instructionem sibi pro salute animae necessariam, & sic de novo peccaret, vel certe non haberet propositum sufficientem. Quod si poenitens esset homo tam doctus, ut prudenter iudicare posset, se non habere opus ullā instructione, & esset paratus ad omnia praestanda, quae possent à Confessario dictari, non teneretur respondere, sicut e contra si Confessarius hoc posset de poenitente praesumere, non teneretur interrogare.

1019. *Objic. 2. Tridentinum sess. 14. c. 5.* colligit, circumstantias speciem mutantem & numerum peccatorum esse exprimendum, ex eo quod Sacerdotes hoc iudicium incognitā causā exercere non possint, neque aequitatem in poenis imponendis servare, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim tua ipsi peccata declarassent: atqui haec ratio probat etiam de circumstantiis aggravantibus: ergo & haec sunt confitenda. Minor probatur: quia huiusmodi circumstantiae requirunt etiam impositionem gravioris poenae, & diversum iudicium in Confessario de statu poenitentis.

Respondetur. Si ratio Concilij evidenter eodem modo procederet de aggravantibus ac speciem mutantibus circumstantiis, Concilium negligenter egisset praetermittendo species aggravantes, exprimendo speciem mutantem. Respondetur ergo absolute, Confessarium non esse obligatum ad formandam perfectissimum & metaphysicè exactum iudicium de gravitate peccatorum, nec etiam ad imponendam poenam mathematicè aequalem, ut omnes fateantur: ergo nec requiritur à poenitente exactissima declaratio omnis gravitatis vndeunque provenientis. Cujus ulterior ratio est manifesta, quia ut ibidem Tridentinum declarat, hoc Sacramentum ita institutum est, ut non esset sacrificina Conscientiae, & tamen requiritur examen valde diligens in omni specie & numero peccatorum, hoc enim à priori non est moraliter impossibile, nec admodum difficile homini habenti seriam curam animae suae. at verò exigere examen in omnes circumstantias aggravantes singulorum peccatorum, in homine praesertim habente multa peccata, esset res intolerabilis molestiae; non solum in illis qui literas ignorant, nec adnotare possunt quae in examine deprehendant, adeoque post examen facil-

limè iterum obliviscerentur plurimum, & esset res infiniti laboris examinare tales in confessione de singulis circumstantiis aggravantibus, tenentibus se tum ex parte actus tum ex parte objecti, non inquam solum in illis illiteratis, sed etiam in literatis: & manifesta praxis reclamatur: quare licet de his non requiritur examen conscientiae, nisi nec earum confessio, & consequenter licet pro his non imponatur poenitentia commensurata, adhuc tamen explicitis speciebus & numero peccatorum, potest servari sufficiens aequitas in impositione poenitentiae tam satisfactoriae quam medicinalis. At verò si quis tantum in genere confiteretur dicendo: *Peccavi*: tunc non haberet Confessarius ullum fundamentum imponendi diversas poenitentias, sed posset & deberet imponere eandem omnibus, hoc autem infallibiliter traheret secum inaequalitatem summam, vel enim imposeret illam, quae correspondet minimo mortali, & tunc qui essent gravissimi peccatores sine ulla proportionem punirentur: si illam quae gravissimis peccatis debetur, intolerabiliter gravarentur leviores peccatores. Medicinalis poenitentia nullum locum haberet, ubi species peccatorum non cognoscerentur. Et in hoc consistit aequitas huius Sacramenti.

1020. *Objicitur 3. Vnum furtum decem aureorum, continet totam malitiam & gravitatem quam continent decem furta, singula vnius aurei: ergo si in hoc casu est explicandus numerus, in priore casu erit explicanda gravitas.* Quomodo hoc argumentum retorquendum sit, iam supra dictum. *2.* Negando paritatem. Non enim numerus est exprimendus praesertim propter gravitatem, sed quia alioqui si tantum in confuso diceretur: *blasphemavi aliquoties*, sciens me decies blasphemasse, non confiteretur omnia & singula peccata cum ea certitudine, cum qua existunt in conscientia.

1021. *Objiciuntur 4. Varij Canones, quibus videtur declarari huiusmodi obligatio.* Ad illos optimè respondet Vasquez & Dicastillo, illis nimium probatum iri, quia aliqui loquuntur de circumstantiis quae ne quidem inducunt rationem peccati, saltè non mortalis, ut si matrem cognovit conjugem gravidam, aut tempore festivo, &c. *2.* Ergo, olim quidem fuisse in vita huiusmodi circumstantiae aperirentur, & etiam poenitentiae imponerentur, non quod hoc esset de necessitate Sacramenti, sed quia tunc ferrebat Charitas Dei & humilitas.

Objici solet ultimum. Ergo qui vno impetu occideret decem homines, satisfaceret dicendo: *Occidi*, non explicando numerum. De hac difficultate dictum est in tract. de Peccatis, quod pertinet. Eam hoc loco tractat admodum accuratè P. Antonius à Spiritu S. *disp. 7. sect. 1.* In qua non habet magnam utilitatem quidquid dicatur hoc puncto, in quo est mira dicendi varietas apud DD. Multi enim dicunt, illum numerum occul-

gant. Mihi certum est, quòd pœnitens non satisfaceret dicendo: *ocidi*. quia deciperet Confessarium, qui non nisi vnus hominis necem supponeret, quia hic est communis modus significandi per illam vocem. Quod si ergo dicat, se plures occidisse vno impetu, nemo Confessarium est, qui non agnoscat obligationem interrogandi numerum. Disparitas autem cum furto est,

quòd numerus occisorum non ita coalescat in vnum, sicut plures quantitates pecuniarum eidem domino ablatae. Sed de hoc videatur citatus Author, & P. Andreas Mendo *dissert. 2. q. vn.* & apud hos alij citati, quorum infinitas replicas non vacat huc referre, ob exiguam huius quaestio- nis vtilitatem, vt dixi.



CAPVT IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI

POENITENTIAE.

CONTROVERSA VNICA.

An collatio Ordinis sit etiam immediata collatio Iurisdictionis.

1022. **C**ertum est 1. Solos Sacerdotes esse Ministros idoneos ad absolvendum, vt habetur in *Trid. sess. 14. c. 6.* & ideo non possit nunc tolerari sententia Magistrum in *4. dist. 17. a. 3.* cui quidem videtur accessisse S. Thomas *q. 3. a. 3. quaest. 2.* his verbis. [Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem habet duplicem Ministrum, vnum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem, alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur, & ita etiam Minister pœnitentiae, cui confessio facienda ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, vt ei confessio fieri possit.] Objici possent quaedam verba Cypriani *l. 3. ep. 17.* [Si quis, inquit, oppressus infirmitate non potuerit expectare aduentum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, facta prius confessione.] Verum Cyprianus loquitur de quadam reconciliatione externa seu in foro externo, quae tunc erat in vsu, & fieri poterat per Diaconum.

Certum est 2. Sacerdotem in ordinatione sua accipere potestatem quandam saltem incompletam, & omnino requisitam ad absolvendum sacramentaliter, quae potestatis collatio significatur per verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Certum 3. Iurisdictionem absolutam & expeditam ad absolvendum, aliquo modo distingui à potestate Ordinis, tanquam totum à parte. Nam potestas Ordinis potest existere sine potestate Iurisdictionis, sed non e contra. Omnes enim Sacerdotes habent potestatem Ordinis, non tamen hoc ipso habent Iurisdictionem expeditam in omnes Christianos, & omnia peccata eorum: debent enim aliqui prius approbari ab Ordinario, vel consequi Officium, cui sit connexa ordinaria

Iurisdictionis, ceteris vero debet Iurisdictionis delegari. Imò in aliquo sensu potest dari potestas Iurisdictionis sine potestate Ordinis, non quidem Iurisdictionis absolventi per se, sed per alium à se delegatum, vt si quis eligitur in Episcopum, vel consequitur beneficium curatum, & necdum habet ordinem Presbyterij.

1023. Controversia est, an quando conferatur potestas Ordinis, etiam conferatur potestas Iurisdictionis, saltem inchoata vel conditionalis. In qua sunt tres Opiniones, quarum priores duae non differunt nisi in modo loquendi, tertia vero differt re ipsa.

Prima ergo Sententia docet, conferri etiam tunc Iurisdictionem, sed cum quadam indeterminatione subditorum & causarum, hoc est, nullos determinando subditos & peccata, & ideo non potest illa Iurisdictionis exire in actum, nisi prius designentur certi subditi, aut peccata. id quod Vasquez conatur explicare exemplo quorundam Tribunalium. Itaque Pontifex vel Episcopi postmodum designando certa genera peccatorum, alijs reservatis, item designando certos homines, faciunt, vt Iurisdictionis in Ordinatione accepta possit exercere actum Iurisdictionis.

Secunda Sententia differt à prima praecise, quòd hanc designationem & determinationem velit vocandam esse veram collationem Iurisdictionis, & sic ait Iurisdictionem differre à Potestate Ordinis, quae aliud non est quàm capacitas Iurisdictionis.

Tertia est P. Arriaga & Esparza: per Ordinationem conferri immediatè Iurisdictionem in omnes omnino homines, & omnia peccata, sed sub conditione, non quidem sub conditione designationis, sic enim coincideret cum prima Sententia, sed sub conditione hac: nisi à Pontifice

Pontifice vel alijs superioribus certa personæ extrahantur, & eximantur à Jurisdictione vniuersali, quod idem de certis peccatis dicendum est. Vnde sequitur, quòd si nullæ fierent exemptiones, vi Ordinis omnes haberent æqualem Jurisdictionem, & possent quoslibet à quibusvis peccatis absolvere; cum tamen in prima Sententia neminem possent sine designatione; quæ est vtiq; realis differentia.

Pro tertia Sententia videtur primò stare sensus verborum formæ, quæ traditur potestas Ordinis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c.* quæ verba significare videntur ejusmodi potestatem completam, & vniuersalem, quia Christus illis verbis contulit Apostolis talem potestatem, & significavit: verba autem Sacramentalia tantum operantur quantum significant: ergo eundem significant effectum, siue à Christo, siue ab ejus Ministro legitimo proferantur.

Deinde omnes Sacerdotes habent ejusmodi potestatem in Venialia peccata, & mortalia semel confessà: non autem habent ex speciali concessione Pontificis, aut Inferiorum, cum de nulla constet: ergo habent ex vi Ordinis, non impediti exceptione aut limitatione contraria.

Contra hanc tamen Sententiam maximè facit communis, & recepta divisio Jurisdictionis, in Ordinariam & Delegatam: in hac autem Sententia non videtur vnquam dari Jurisdictione delegata propriè. Nam Jurisdictione delegata est illa, quæ legitimè confertur ab habente Ordinariam, & non convenit ratione Officij: atqui nullus Sacerdos haberet hoc modo delegatam Jurisdictionem, quia nulli conferretur ab habente ordinariam, sed tantum non limitaretur illa, quam vi ordinationis accepit vniuersalem & ordinariam.

Quod si dicas, ideo tales habere Jurisdictionem delegatam, quia illa vniuersalis quam acceperunt limitabilem in Ordine, fuit ab Ecclesia prius limitata, vt non possent exerceri, nisi in Venialia & Mortalia jam confessà, deinde verò hanc limitationem, quasi iterum laxari ad certas personas, & peccata. Contra est 1. quia sic fieret per ambages & circuitum, quod fieri possent rectà viâ & brevissimè, scilicet vt nullam Jurisdictionem vi Ordinis habenti, sed solam capacitatem conferatur Jurisdictione, sic vel sic limitata. Certè negari non potest, hunc modum magis esse iuxta communem hominum conceptum. Contra est 2. Quia sic nemo præter Pontificem haberet Jurisdictionem ordinariam, quia omnes habent Jurisdictionem aliquo modo limitatam. Contra est 3. Quia, vt advertit P. Dicastillo, hic modus explicandi inducit modum loquendi nimis improprium: v. g. quando Princeps aliquis est excommunicatus, habet vinculum suæ Jurisdictionis, quando deinde absolvitur ab excommunicatione, non rectè diceretur illi conferri Jurisdictione: ergo solvi impedimentum non est conferri Jurisdictionem.

1024. Omnibus consideratis magis propendeo in tertiam Sententiam, quæ vt melius intelligatur, declaro illam exemplo nisi fallor idoneo. Magistratus Academicus Ingolstadiensis habet Jurisdictionem vniuersalem, & ordinariam in Studiosos, non solum in Civilibus, sed etiam Criminalibus, hac tamen cum limitatione, quòd certas causas graviores possit Reservari sibi, si videbitur, ad suum Tribunal avocare, quæ Avocatio aliud planè non est, quàm quod est peccatorum Reservatio pro sacro Pœnitentiæ Tribunali. Porro illa avocatio ita ligat & impedit Jurisdictionem Academicam, vt tamen negatio avocationis non possit vilo modo vocari collatio Jurisdictionis: est enim tantummodo non impeditio Jurisdictionis jam prius convenientis ratione Officij. Ità se res habet in nostro casu. Omnis Sacerdos vi ordinationis accipit Jurisdictionem vniuersalem, sed cum hac limitatione necessariò intelligenda (sine qua esset perniciosissima collatio vniuersalis Jurisdictionis omnibus sine discrimine Sacerdotibus) nisi à magistratu superiore certe causa avocentur. Porro phrasis Theologorum est, quòd in quocunque casu Sacerdos non possit absolvere, talis casus sit illi reservatus. In quo sensu querunt; an peccata venialia, vel mortalia confessà possint reservari, cum defacto omnes Sacerdotes possint ab illis absolvere? Si ergo omnis impotentia Sacerdotis ad absolvendum provenit à reservatione seu avocatione, & omnis avocatio præsupponit Jurisdictionem talem, vt si non fieret avocatio, hoc ipso possent exerceri, consequens est, omnem Sacerdotem accipere Jurisdictionem immediate per Ordinationem.

1025. Objicies. Absurdum planè est dicere, quòd ab illo, cui à suprema potestate concessa est vniuersalis Jurisdictione, avocentur deinde ab inferiore Magistratu omnes ferè causæ, particulim relictis, ipsique solummodo, quæ ita sunt Jurisdictionis voluntariæ, vt reus non teneatur subire iudicium: atqui hoc fieret in casu nostro. Christus enim contulisset Jurisdictionem vniuersalem, cum potestate facta Ecclesiæ aliquas causas avocandi: Ecclesia autem avocaret omnes causas, exceptis peccatis venialibus & mortalibus jam confessis. R. Imò Ecclesia non avocat ad se vllam causam, hoc est, vllam personam, nec vllum peccatum reservat pro illis circumstantijs, pro quibus per se & præcisè ex institutione Sacramenti est hoc Sacramentum sub præcepto. Omnes enim Sacerdotes habent Jurisdictionem absolutam & expeditam in omnes personas, & peccatum pro articulo mortis, saltè quando non adest proprius pastor; imò ex multorum probabili Sententia quam fusè propugnat P. Dicastillo, etiam presente parochio. ità expressit Tridentinum sess. 7. c. 7. his verbis: [Piè admodum, ne hæc ipsi occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei constitutum semper fuit, vt nulla sit, NB. reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris

furis absolvere possint.] Ecce! ex sola non avocatione, seu non reservatione, infert Concilium Iurisdictionem absolventi univrsalem: ergo supponitur hæc prius collata: ergo vel immediate à Christo, per Ordinationem, vel ab homine. si illud: habetur intentum. si secundum, deberent adversarij adferre aliquem textum ex quo talis collatio colligeretur, sicut econtra colligunt reservatio ex cap. Omnis vtriusque sexus de Pœnit. & remissionib. quod etiam est caput 21. Concilij Lateran. sub Innoc. III. & est relatum in Tridentino *sess. 14. c. 5. in fine.* [Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltèm semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, &c. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sa-

cerdote, cum aliter, NB. ipse illum non possit absolvere, vel ligare.]

Ad argumentum supra contra hanc Sententiam factum, facilis est responsio, non intervenire inutiles circuitus & ambages, sed necessarias ad rectè gubernandam Ecclesiam, & adhuc salvari propriè dictam Iurisdictionem delegatam, sicut esset Iurisdicctio propriè delegata, si Princeps causam ad se avocata committeret iudicandam vni ex Academicis Consiliarijs, quia committeret ei vices suas, vt suo nomine, (& non ex Officio cui de iure sit annexa Iurisdicctio, quæ dicitur ordinaria) iudicaret causam, alioquin à se iudicandam vi avocationis: ità etiam faceret Episcopus. constituendo aliquem Religiosum Pœnitentiarium in sua Cathedrali Ecclesia. Vnde non est ad rem exemplum allatum à P. Dicastillo, vt consideranti patet.



CAPVT X.

DE SIGILLO CONFSSIONIS.

CONTROVERSA I.

Quo iure sit hoc Sigillum introductum in toto suo rigore.

1026. **S**igillum hoc esse rigidissimum, & pro omni casu humana auctoritate indispenabile, sine consensu pœnitentis, ac præterea etiam se extendere ad alios quàm Confessarium, nempe qui vel audiunt confessionem, vel à Confessario ex consensu pœnitentis consuluntur, vel interpretes agunt, adeoque esse longè univrsalius quàm sit Secretum naturale, quo quis ab altero obligatur, certum est ex perpetuo fidelium Sensu. Vnde ab illo rigore non eximit quantumvis magnum Reipublicæ detrimentum imminens ex observatione Sigilli, sicut eximit à Secreto naturali. Neque hoc debet videri grave Reipublicæ: non enim habuit Reipublica jus ad confessionis institutionem: quod si ergo non fuisset institutum hoc Sacramentum, Reipublica incurreret illud ipsum damnum quod incurrit ex observatione sigilli. Porro hoc sigillum non est solum primariò institutum in bonum privatum pœnitentis, sed etiam in bonum publicum, quia erat vel necessarium vel certè valdè expediens ad bene gubernandos mores totius Christianitatis, qui sine tali sigillo non accederent cum ea confidentia ad hoc Sacramentum. Vnde non habet locum Regula, quòd bonum publicum sit præferendum privato, sicut habet locum in Secreto naturali.

1027. **Q**uestio est, an, supposità institutione hujus Sacramenti, resultet obligatio sigilli cum toto suo rigore ex ipso Jure naturæ, vel ex Jure positivo divino, vel ex utroque.

Prima Sententia docet, dari hanc obligationem sigilli cum toto suo rigore ex solo jure naturæ, secluso etiam vltiore præcepto divino. Ità Gaspar Hurtadus, Dicastillo, & Lugo, immeritò pro se citans Henriquez, qui apertè stat pro contraria sententia.

Secunda Sententia est, totum rigorem hujus sigilli compleri per præceptum divinum positivum, adeoque non esse adequatè Iuris naturæ. Ità ceteri DD. communiter. Card. Pallavicinus non videtur reipsà ab hac sententia differre, licèt spectato loquendi modo videatur aliquid singulare velle, his verbis. [Et quidem probabile est, hanc obligationem ex natura sua esse annexam præcepto confessionis, sed non adeo evidentè, quin opus fuerit, vt Christus eam promulgaret, quæ promulgatio habetur ex traditione Ecclesiæ.]

Censeo secundam sententiam esse veram, nam obligatio merè naturalis tam rigida, non ostenditur sufficienter ab auctoribus primæ Sententiæ, possètque semper verisimiliter responderi, si non accederet præceptum Christi; & mihi vix credibile est, quòd si solum præceptum naturale

X x x

esset,

esset, haecenus nullus Theologus inventus fuisset, qui non auctus esset hanc obligationem naturalem pro aliquo valde extraordinario casu negare.

Probat ergo prima Sententia vnicè. quia si in vlllo casu liceret revelare peccatum ex confessione cognitum, redderetur hoc Sacramentum nimis exotum, nec homines amplius ita securè accederent, & sic cederet illa licentia in grave praedictum, adeoque in irreverentiam hujus Sacramenti. Haec tamen ratio non omnino convincit. Nam licet hoc Sacramentum sit dignum, ut homines cum illa confidentia accedant, cum qua defacto accedunt, hinc tamen non licet inferre, quòd omne illud debeat esse sub gravi obligatione, quòd requiritur ad tam confidentialem accessum; praesertim si loquamur de illis peccatis, quae quis non tenetur confiteri: item si advertamus ad illud privilegium, quòd habet hoc Sacramentum, quòd quando est periculum revelationis, possit quis indirectè absolvi ab illo peccato cujus revelationem timet. Sanè negari non potest, quòd adhuc maximum beneficium esset, posse confiteri venialia cum emolumento maximo, etiamsi liceret Confessario in casu gravi revelare peccatum veniale: nam licet tunc non daretur tam confidentialis accessus, necdum tamen est probatum, quòd iste confidentialis accessus sit necessariò connexus cum institutione hujus Sacramenti: imò contrarium videtur dicendum, quòd aliter institui potuisset.

CONTROVERSIA II.

An, & quomodo liceat Confessario vti notitià confessionis.

1028. **G**RAVIS est controversia, an Confessarius possit vti notitià hausta ex confessione ad quasdam actiones vel omissiones ex se alioquin licitas, & quae possent fieri hinc & nunc absque notitià talis peccati hausta ex confessione: v. g. an Superior possit subditum amovere ab officio aliquo, vel mittere ad alium locum. fingunt alij alios casus planè metaphysicos, ut, si sciret Confessarius ex confessione, & sine licentia vtrudici hac notitià data à poenitente, sibi esse paratum venenum in potu, an possit abstinere à potu.

Prima sententia affirmat. Tribuitur D. Thomae quodlib. 5. a. 13. & in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. & in supplemento q. 11. a. 1. ad. 3. Secunda Sententia negat. Varijs vtraque limitationibus vtitur, quibus omnibus consideratis fortè non vsque adeo differunt, ut differre videntur.

1029. Dicendum 1. Inspecto jure positivo Ecclesiastico, certum est, talem usum non licere Superioribus Religionum in ordine ad gubernationem suorum subditorum. Extat enim Constitutio Clementis VIII. edita anno 1594. sic loquens. [Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superio-

ritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne eà notitià, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vrantur,]

1030. Dicendum 2. Notitià Confessionis licet vti ad illas actiones, quas pudor & verecundia non solet hominibus reddere ingratas, etiamsi suspicentur fieri dependeret à confessione aucta, modò per illas nec directè nec indirectè reveletur peccatum: v. g. licet poenitentem singulari affectu prosequi, familiaritè & confidentius cum illo agere: in quibus ipsis tamen actionibus caute procedendum est, quia fieri possent, ut licet ceteroquin essent actiones gratae, in his tamen circumstantijs non sine rubore poenitentis molestè haberentur. Itaque omnis ille vsus hujus notitià est licitus, quem si sciatur poenitentes esse licitum, non propterea quidquam absterrentur à Confessione, quia vident, in illis actionibus non contineri nec directè nec indirectè vlltum periculum revelationis peccati, nullam exprobationem ejusdem. Ita Lugo, Palao, Pallav. & alij. Hinc ob notitiàm confessionis possum moveri ad studendum, consulendum sine manifestatione personae, possum vitare illas occasiones in quibus poenitens lapsus est: potest Superior emendare suum rigorem, si ex confessione intelligat, inde nasci multas querelas & murmuraciones. Imò dicit Castro Palao, posse Confessarium vti notitià ad examinandum complicem, ita tamen ut non intelligat, vnde moveatur ad tale examen. Rationem à priori bene assignat Pallavicinus c. 7. n. 327. debet nimirum obligatio sigilli ita esse instituta, ut non sit nimis onerosa Confessario (sive vtilitate poenitentium) ne alioquin eos à Ministerio deterreat: ideo non prohibentur generatè loqui de ijs quae audierunt in Confessione, dummodo in singulis casibus nullum sit morale periculum manifestationis.

Dices. Ex hac ipsa licentia jam oritur periculum alicujus manifestationis in genere; nampe si arbitrio Confessarij committitur, iudicatur hic & nunc nullum sit periculum, sapè fiet ut Confessarij imprudenter iudicent, & sic jam reddatur confessio odiosa. R. Esse quidem aliquod remotionum periculum hujusmodi incommodum, sed illud esse leve malum, si comparatur cum illo quòd afferret praecceptum adeo rigidum, non vtrudici notitià confessionis in casibus & modis receptis; vnde fit, ut neminem absterreat à Confessione.

1031. DICO 3. Ille vsus confessionis est illicitus, cujus licentia redderet confessionem difficiliorem, quàm sit si ponatur non licere. Articulus. Ille vsus notitià est illicitus, iure declaratus. Ille vsus notitià confessionis, cujus poenitentia ex institutione hujus Sacramenti, cujus poenitentia servit ad facilitandam confessionem. Ita Lugo, Dicastillo, Elparza, Atriaga alij. Hoc est eadem quae vrget pro sigillo, & inde dicitur hanc Conclusio. Vult nimirum Canon hoc Sacramentum sic instituisse, & omnibus illis obligat.

obligationibus munire, ut, quantum in se erat, tolleretur omnem difficultatem, quæ oritur ex vercundia vel damno incurtendo, & quæ non est intrinseca Confessione. ut proinde in ordine ad commodum & incommodum penitentis, non aliter se habeat notitia Confessarij, quam si non sciret. Hinc

1032. Resolvitur 1. quid agere liceat Confessario, si ex confessione cognoscit imminere sibi grave periculum, quod possit subterfugere vitando notitiã confessionis. R. Si fuga vel alius actus talis esset, qui nec directè nec indirectè revelaret confessum, peccatum nec redderet aliunde exorsam confessionem, liceret: secus, non liceret, quidquid dicat Conink, volens licere fugere, etiam si alijs inde colligerent, se à Petro in Confessione proditos esse, quem bene refutat Lugo: qui etiam rectè addit, casum non esse moralem, sed metaphysicum; & à tot saculis non esse auditum, quod contigisset, ut opus fuerit tali usu sine licentia penitentis, qui licentiam libenter dabit, vel si dare nollet, non huic sed alteri confessus esset, vel habuisset justam causam tacendi peccatum, quia est moraliter certum periculum, fore ut Confessarius illã notitiã vtratur, qui usus si sit gravis penitenti, habet sufficientem causam tacendi pro tunc peccatum, ut farentur Pallavicin. & Esparza. vel denique posset Confessarius prudenter colligere, talem nequam non animo confitendi dixisse, sed animo obligandi Confessarium ad non fugiendum &c. & tunc non obligaret sigillum.

Neque videtur alia mens esse P. Adami Tanneri 20. 4. disp. 6. q. 9. dub. 6. n. 140. quidquid autem sit de illius mente, illud non debeo dissimulare. Dianam parte 5. r. 11. Resol. 3. in fine, mirari, quod Tannerus docuerit licitum vsum notitiã Confessionis in casu posito, contra Decretum quod condidit noster P. Generalis Claudius Aquaviva, prohibens doceri à nostris, aut praticari Sententiam asserentem, justis de causis licere nonnunquam Confessario, cum id heri potest sine ulla revelata confessionis suspicione uti extra Confessionem notitiã per confessionem habitã. Hanc Dianæ admirationem approbat P. Dicastillo n. 140. in fine. Sed uterque admirationem facile deposuisset, si legisset sequens folium P. Tanneri, qui §. Quã ratione mentionem facit hujus ipsius Decreti, ubi notat, prædictum Generalem fuisse super hoc decreto ex Germania consultum, & respondisse, mentem sibi ac propositum fuisse, vsum NB. ejus notitiã duntaxat prohibere in ijs, quæ pertinent ad regimen & gubernationem superiorum. in cæteris verò casibus qui incident (adeoque etiam in secretis suffragijs, v. g. si ex confessione constaret aliquem esse indignum aut incapacem alicujus beneficij aut officij) cum statuendum nihil, itã se gerere vnumquemque debere, uti conscientia suã ex Doctorum sententijs consultus fore cognoverit. Denique etiam Castro Pa-

lao ad longum refert verba Decreti illius, nihilominus sententiam Tanneri tenet.

Pro Sententia P. Conink paulò antè relata objici potest: quia in tali casu videtur fore lex moraliter inobservabilis, considerata humanã fragilitate. R. Multas alias leges extare, quæ etiam obligant in casu difficillimo, & moraliter impracticabili, sed rarissimo, eò quod si talis casus exceptus esset, inde per consequentiam sequeretur maximum præjudicium contra finem legis, & sic ejus utilitas elideretur. Exempla sunt obvia. obligatio non mentiendi, non dicendi hæresin externam, non occidendi directè innocentem, exponendi se periculo vitæ ad liberandum eum, quem injultè in tale periculum coniecisti, hæ inquam & plures similes, nullam admittunt exceptionem, ne quidem pro casu quo similes actiones essent necessarie ad conservandam propriam vitam. imò repetiuntur etiam hujusmodi leges humanæ, ut lex non contrahendi cum persona conjuncta in certo gradu; non celebrandi sine vestibus sacris, non in fermentato, &c.

1033. Resolvitur 2. Non licere uti notitiã confessionis, ad neganda Sacramenta indigno, vel habenti impedimentum ex confessione notum: unde si talis petat denunciari à Parocho, nec Parochus habeat licentiam aperiendi impedimentum, eò quod deberet loqui de peccato audito, debet denunciare, & assistere Matrimonio quantumvis invalido; alioquin jam redderetur odiosa confessio. ut post alios docet P. Aversa de Matrim. q. 7. §. Quod si parochus.

Resolvitur 3. Possit Confessarium in secunda confessione loqui de peccatis auditis in priori confessione, in quantum hoc conducit ad dirigendum penitentem. Tam enim iterum agit Vicarium Christi, & ut talis sit peccata præterita, & statum penitentis inde dependentem. Certe in hac licentia fundat se illa praxis & consilium quod datur penitentibus, ut constanter vni confiteantur. Extendit hoc Lugo cum Henriquez, ut etiam possit statim post datam absolutionem adhuc aliquid monere occasione peccatorum confessorum, quia censetur adhuc moraliter durare illud iudicium, quidquid contradicat Sagundez & Diana.

Resolvitur 4. Contra Suarez, Filliucium, & Nunnium, quod si penitens neget confessario petitam licentiam loquendi de peccatis auditis, non possit de illis loqui, alioquin hæc petitio licentiæ esset mera caremonia & urbanitas, & hæc ratione redderetur exorsa confessio, non minus, imò magis, quam si fuisset, non petita licentiã, locutus.



CONTROVERSIA III.

Virum ratione Sigilli defendi possit licentia manifestandi Complicem in confessione, si peccatum aliter explicari non possit.

1034. **D**ubitatur, an, quando species peccati non potest explicari, quin Confessario innotescat persona complicitis, possit subterfieri talis circumstantia peccati, propter famam proximi, vel an liceat, imò an tenearis Complicem manifestare. v.g. commisisti incestum cum Sorore aut Matre, & Confessarius novit tuam sororem & matrem, quæritur, an satis sit dicere: commisisti incestum: ita tamen ut specialitas incestus in alia confessione manifestetur alteri confessario, cui non sit nota persona complex. In praxi certum est, utrumque fieri posse; cum utraque opposita Sententia sit saltem extrinsecè probabilis. Nunc autem rem speculativè examinamus.

Prima Sententia docet, posse ac debere Complicem reticere. Ratio est, quia ob incommodum grave proximi potest peccatum reticere: jam verò, infamari etiam apud unum est grave incommodum, & proximus habet jus ad suam famam: ergo possum: & quia possum, debeo ex Iustitia parcere ipsius famæ. Ità non pauci apud Dianam & Dicastillo, quibus accedit Arriaga.

Secunda docet, licere tunc manifestare complicem atque debere. Ità quadraginta nominati AA. celebres relati à P. Dicastillo, quibus & ipse accedit: item Amicus, Castro Palao, & quod magnum veritatis argumentum est, in ea conveniunt Suarez & Vasquez. est etiam S. Thomas in terminis in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæst. 5. ad 5. est denique S. Bernardi, qui eam indubitanter supponit in formula honestæ vitæ, his verbis. [De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcunque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.]

1035. Huic Sententiæ libenter assentior, tum quia est tantorum virorum, tum quia coheret cum regulis quas tradam in tr. de Iust. circa Detractionem & Occisionem indirectam innocentis in certis casibus licitam; que in presenti casu multò magis locum habent, ubi damnum infamationis plurimùm minuitur obligatione sigilli, quo complex non minus gaudet quam penitens.

Omissis varijs probationibus, quarum inefficaciam ostendit Arriaga & Dicastillo, melior probatio est quæ videtur Amicus, Palao, Dicastillo, & etiam insinuat Lugo, Suarez, Vasquez, scilicet, quòd alter complex habeat quidem jus ad suam famam, sed non cum tanto meo incommodo, quòd subirem, si non liceret mihi totam speciem peccati explicare, adeòque non potest esse rationabiliter invitus, quòd innotescat delictum Confessario sine periculo ulteriori damni, & in

tam arcano iudicio, quando hoc est necessarium, ut ego possum integrè in eum peccatum confiteri, directam ejus absolutionem consequi, & eundem iterum confitendi liberari, competentem accipere instructionem & correctionem, &c. propter quæ bona Christus hoc Sacramentum instituit, & integram confessionem præcepit, eamque impedito sigillo faciitavit, illisque bonis posthabeat ipsius penitentis famam, eum obligando, ut cum sui infamatione illa bona procuret. Ergo peccat & à fortiori censendus est Christus licentiam dedisse, propter hæc ipsa bona confitendo innotescendi complicitis, quando aliter non possumus illi consequi; nam minor causa sufficit, ut liceat infamare proximum (ceteris paribus) quam sufficit, ut obliget ego ad me ipsum infamandum. Hæc est tota substantia probationis, prout ab alijs proponitur; cujus fundamenta partim tradam in tract. de Charitate, quæ proinde hic non repetet, partim tradam loco indicato de Iure & Iustitia tract. 1.

1036. **DICO** nunc ulterius. In talibus non solum licitum est, sed etiam tenemur manifestare complicem. Ità plerique ex Antiquis secunda Sententia. Et hic habes, lector, exemplum clarissimum contra doctrinam Clarissimi viri Prosperii Fagnani de Opinione probabilis quam retuli & impugnavi in lib. 2. Habes, inquam, exemplum, quo homo constituitur in tali circumstantia, ut necessitetur ad sequendam Sententiam probabilem, & non possit habere certitudinem, quam ille auctor semper requirit. Nam probabile est, te teneri manifestare complicem, & insuper probabile est, te teneri ad tacendum, & tamen utrumque declinare non potes, & quin aliquatenus exponas periculo materialis erroris, sicut potes declinare in alijs casibus, ut, si probabile est licere sumere duodecim uncias pro collatione, & est probabile non licere, & est tamen certum te non errare aut peccare si abstineas ab illis. Probatur autem Conclusio. Quando concurrunt duorum præceptorum materiae impossibiles, tunc cessante obligatione unius præcepti, & non interveniente aliunde alia causa excusante ab observatione alterius præcepti, obligat alterum præceptum: v.g. teneor habere audire Missam, quia est dies festus: teneor non dare occasionem scandali proximo, si sine meo incommodo præponderante possum cavere: si exeam è domo, scandalizabitur Petrus mei aspectu: prævalet tamen commodum Missæ, tunc non tantùm licet adire Missam, sed teneor adire, nisi accedat alia ratio excusans, v.g. morbus, aut jactura rei domesticæ: tunc enim excusor, non ex cessatione legis oppositæ de scandalo cavendo, sed quia lex humana præcipiens Missam non obligat cum tali incommodo meo.

Sic se res habet in casu nostro: concurrunt materiae duorum præceptorum, negatio scilicet infamationis proximi, & integritas materialis confessionis, præceptum non infamandi cellat, ut pro-

vt probatum est conclusione precedente: ergo secundum præceptum obligat, nisi interveniat alia causa excusans, qualis esset v.g. periculum evulgationis, &c.

Quod si illud peccatum jam aliàs essem confessus, & vellem modò confiteri generaliter, tunc

quidem non tenerer manifestare complicem, quia non teneor in confessione generali omnia dicere quæ jam semel confessus sum, licet

tamen manifestarem, vt patet ex prima

Conclusionè, & bene resolvit

Dicaftillo.



CAPVT XI.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

CONTROVERSIA I.

An opus formaliter satisfactorium debeat esse pœnale, formaliter liberum, & in gratia factum.

1037. **D**ICO 1. Opus satisfactorium debet esse pœnale. Ità cum D. Th. communis contra Vasq. Probatur ex Trid. loco cit. Ratio est, quia satisfactio est vindicatio delicti commissi, & ordinatur ad correctionem tum ipsius satisfacièntis, tum aliorum vt abstercantur, ac denique succedit in locum pœnæ à Deo infligendæ. An autem omne opus meritorium ratione suæ victoriæ quam includit omnis actus virtutis, sit hoc ipso pœnalis, & requirat arduitatè, dictum est lib. 2. tr. de Merit.

1038. **D**ICO 2. Opus satisfacièntis à nobis sponte susceptum, debet provenire ab exercitio libero & meritorio. Probatur. Debet enim esse tale, per quod homo placeat Deo, & dignus fiat cuius opus acceptetur loco pœnæ alioquin infligendæ, debet etiam opus externum dignificari ad hoc, vt habeat vim satisfacièntis satisfacièntis contradistinctâ ab illa qua inest (ex communiore sententia contra Ariagam d. 21. à n. 19.) actui formaliter meritorio: dignificatur autem & qualificatur ex eo quod procedat ab actu meritorio. Sanè omnes iudicamus, eum qui dormit humi, præcisè quia non habet lectum, non satisfacere Deo per talem mortificationem.

1039. **D**ICO 3. Pœnalitas externa auget Satisfacièntiam quò est maior, etiam si nullum novum exercitium liberum accedat, vel tunc infuit, quidquid sit an augeat rationem meriti, de quo dictum est tr. de Merito. Conclusio est communis contra Suarez d. 48. f. 8. n. 16. & 18. Probatur. Quia Satisfactio se habet per modum solutionis, in qua consideratur non solum affectus (vt in merito) sed ipsa exterior executio.

Accedit communis fidelium sensus, vtique in ratione allata fundatus: solemus enim nos affligere jejunijs, disciplinis, cilicijs, in eum finem, vt transactâ actione relinquatur adhuc dolor in-

dependenter ab actuali libero voluntatis exercitio immediatè influente; & per talem dolorem censemus satisfieri copiosius, quàm si talis dolor non sequeretur.

Hinc si quis det famulo pecunias distribuendas pauperibus, vt satisfaciatur pœnitentiæ injunctæ, tunc primùm consequetur fructum satisfacièntis, quando actu dabitur elemosyna, licet tunc ipse dormiat: quia tunc ponitur alienario pecunia, quæ est realiter, & objectivè pœnalis.

Objicies. Ex hoc sequi videretur, adhuc satisfieri per opus pœnale, quando illud inceptum est in gratia, & continuatur superveniente peccato, quia adhuc verum est dicere, quòd procedat ab actu meritorio originaliter, & non requiritur eum de præsentis existere. R. Magnorum DD. Sententiam esse, quòd Pœnitentiæ non solum possit impleri in statu peccati mortalis, quantum satisfacièntis, vt pœnitens liberetur ab obligatione imposita per Sacerdotis claves, verum etiam illam pœnitentiæ liberare pœnitentem ab aliqua parte pœnæ; cuius ratio est, quòd sit opus pœnale injunctum à Iudice, vt tali: Alij dicunt, habere primùm suum effectum remoto obice, quos refert & sequitur Lugo.

Vtrum autem sit peccatum saltèm veniale, perficere pœnitentiæ in statu peccati mortalis, negant plures, quos refert & sequitur P. Antonius à Spiritu sancto. probabilis tamen est Sententia Alensis & Barbosa apud eundem, esse peccatum saltèm veniale, quia est aliqua irreverentia erga Sacramentum, impedire quominus statim consequatur suum effectum satisfacièntis.



Xxxx ;

CON-

CONTROVERSA II.

An sit obligatio imponendi Pœnitentiam eamque acceptandi.

1040. **T**Res potissimum casus sunt, in quibus non est necesse imponere Pœnitentiam. Primus, quando pœnitens jam est sensibus destitutus. Quod si adhuc sibi præsens est, imponenda erit levis, & cito præstabilis, v.g. invocatio nominis JESU, vel unctio pectoris: gravior verò, si eam promeruit, imponenda sub conditione: si convaluerit.

Secundus casus est, quando Confessarius ex circumstantiis intelligit, pœnitentem integrè satisfecisse, quod tamen vix unquam constabit.

Tertius. Si lucranda sunt indulgentiæ plenariæ, saltè moraliter certæ: quamvis & tunc expediatur levis saltem imponi. imò, ut advertit P. Esparza, nec tunc omittendæ sunt pœnitentiæ medicinales, si alioquin censentur necessariae.

Quando imponenda est pœnitentia levis, tunc non erit culpa gravis, si non imponatur, sicut nec ipse pœnitens graviter peccat eam non implendo. Rationem reddit Pallavicinus; quia non est talis pars Sacramenti, sine qua Sacramentum sit deforme. Imò Bonifacius VIII., ut refert glossa in Extrav. *Antiquorum de pœnit. & remis.* reprehendit Confessarios, qui anno Iubilæi imponebant alias pœnitentias, ergo non curavit pro tunc defectum hujus partis integralis.

1041. **Q**uæritur 1. an Pœnitentia imponenda sit per modum Præcepti, vel possit imponi per modum Consilij, ita ut liberum sit pœnitenti implere vel non implere. hoc posterius affirmat Suarez, Tanner, Fillivejus, & alij plures.

Dicendum tamen est, semper pœnitentiam debere esse aliquatenus sub Præcepto. Ità communiter RR. Probatur ex Tridentino, quod expressè definit impositionem Pœnitentiæ procedere ex potestate ligandi. unde sic argumentor. Sacerdos tenetur per se loquendo imponere pœnitentiam, ut Sacramentum habeat suam integritatem: atqui impositio hæc procedit ex potestate ligandi: potestas autem ligandi non exercetur dando Consilium, sed obligando & præcipiendo, sicut & Iustitia Vindicativa: ergo debet pœnitentia imponi præceptivè.

Respondet Suarez & Diana, ligari pœnitentem conditionatè, si velit consequi fructum ex opere operato. Verùm hoc bene rejicit Arriaga: ridiculum sanè est dicere, reum ligari carcere, si Iudex illi dicat: Si vis manere in carcere, tractabo te laurè: si tamen vis abire, potes. Hinc apparet, crassum fuisse quorundam errorem, existimantium, per illa verba, quæ Confessarius absolutioni subjungit: Passio Domini, &c. omnia opera hominis elevari in partem pœnitentiæ pro satisfactione. Sunt enim verba deprecatoria, & non præceptiva.

Dixi in Conclusione: *Aliquotenus*. Nam certum est, aliquo modo posse pœnitentiæ pœnitentiam esse liberam. v.g. si illi injungatur dicitur opera sub disjunctione, ut electio sit libera pœnitenti.

1042. **Q**uæritur 2. An hoc præcepto obligetur pœnitens ad acceptandam pœnitentiam rationabiliter impostam, vel an sit illi liberum acceptare, & consequenter absque novo piaculo non persolvere, acceptà nihilominus absolutione. Scutus, Gabriel, Navarrus, Medina, dixerunt, non teneri pœnitentem ad acceptandam, sed episcopus tunc relinquit vel satisfaciendi in hac vita, vel differendi in alteram vitam, ibique satisfaciendi.

Contrarium tamen certum est, quod neque putat esse de fide. Ratio est, quia Pœnitentia imponitur à Iudice, reus autem tenetur obedire Iudici præcipienti. Unde non est paritas cum legibus civilibus, quas ideo subditi non tenentur acceptare, quia legislator accepit suam potestatem à populo, & quidem cum illa restrictione.

Obijciunt. Nemo tenetur uti privilegio: atqui est privilegium posse pro satisfactione magna substituere modicam satisfactionem. Respondendo, quòd sit merum privilegium, cum includat præceptum, & imperium Iudicis vindicantis dicta, & ferentis sententiam absolutivam quidem, sed in super etiam obligatoriam, & quidem in eum qui se tali Iudici subiecit: adeoque non est liber, ut consequatur absolutionem sine obligatione. Dum enim se subiecit potestati absolventi, subiecit se etiam potestati ligandi, cum utraque competat Sacerdoti: ergo si Sacerdos non vult vitam exercere sine altera, sed utramque, jam hoc ipse reus est utriusque subiectus.

1043. **Q**uæritur 3. An liceat pœnitentiam implere per alium. R. cum distinctione. Sunt enim aliqua operationes quæ factæ nomine nostro, adhuc dicuntur esse operationes, nolte, ut quis meo nomine contrahat, vel ex meo det elemosinam, & hujusmodi, non est dubium posse præstari per alium. Aliæ actiones non sunt nisi illius à quo procedunt, ut jejunare, orare, audire Missam, &c. de quibus negandum est posse per alium fieri, quia Tridentinum dicit, partes Sacramenti esse actus pœnitentis, & in eum Confessarii est, ut in propria persona fiant, nisi expressè procuracionem hujusmodi operum imponat.

Quæritur 4. Si tibi injungatur pro pœnitentia, ut jejunet tribus proximis diebus Veneris, & tu obliviscaris tali die, an sis liber à jejunio. R. Negative, quia sicut dicitur de præcepto sumendi Eucharistiam in Paschate, Confessarius primatidè intendit triplex jejunium, & tantum secundariò designavit diem Veneris.

Quæritur 5. An pœnitens differendo in longum tempus pœnitentiam, possit peccare mortaliter. R. 1. Si Confessarius nullum tempus designavit, dilatio non erit facile peccatum mortale, si non sit excessiva & nimia. R. 2. Si tempus determinavit, tunc si variaretur gravi-

ter contra Confessarij intentionem, esset grave peccatum: vt si præcepisset singulis mensibus confiteri, tunc si integro mense intermitteres, graviter contravenires præcepto Confessarij. Si verò præciperet, vt intra mensem iterum confitearis, dilatio alteriùsve dici vltra mensem, non esset gravis.

CONTROVERSIA III.

Quis possit mutare Pœnitentiam.

1044. Dicendum est contra Portell, Villalobos, & Dianam, non posse pœnitentem ipsum mutare pœnitentiam, ne quidem in opus aliud evidenter melius. Probat. Satisfactio est debita ex præcepto: quando autem aliquid debetur ex præcepto, non est in potestate obligati mutare in id quod est, & iudicat ipse esse evidenter melius: v.g. esset evidenter melius dare elemosynam 100. aureorum, quàm recitare vno die Horas Canonicas, nec tamen licet commutare hanc obligationem in illud opus. Ratio à priori est, quia licet sæpè in casu particulari legislator esset optimè contentus, si interrogaretur, vt hoc pro illo substitueretur, vniversalis tamen licentia commutandi ad arbitrium subditi, nec expedit, nec legislator in illam consentire censetur, propter periculum certum frequentissimi abusus huius licentiae.

Obijciunt. Potest vovens mutare votum in aliud melius, ergo & pœnitentiam. Negatur paritas. nam periculum abusus in commutanda re præcepta, provenit originaliter ex eo, quòd præcepti & legis obligatio, vtpote proveniens ab alio, sæpè sit nobis ingrata, & iuxta naturalem propensionem nitamur in vetitum, & sæpè non assequamur quis sit finis præcepti, aut legis: inde fieret, vt non nisi cum maximo præiudicio finis legis posset esse potestas vniversalis pro libitu subditorum commutare obligationes legis & præcepti, & cessaret maxima ex parte, si non omnino, subordinatio, conformitas, & reverentia erga Magistratus. At verò obligatio voti est omnino voluntaria, & primò grata: non sumus autem, perse loquendo, propensi ad mutandam voluntariam obligationem in aliam evidenter meliorem.

1045. Dicendum 2. Alium Confessarium posse pœnitentiam ab alio injunctam commutare, si peccata saltèm graviora denuò audiat; tunc

enim causam ab alio iudicatam denuò iudicat, succedens priori Iudici in eodem tribunali; sicut secundus Episcopus potest moderari vel mutare pœnam ab antecessore impositam. Quo casu pœnitentia à secundo confessario imposita, non evadit pars integralis prioris Sacramenti, quia non est impletio prioris præcepti. Neque est absurdum prius Sacramentum hoc modo reddi incompletum, quia non deest tunc aliquid complementum requisitum: nam pro illis peccatis satisfit per pœnitentiam in secundo iudicio impositam. Quodli (prout fieri convenit) Secundus Iudex aliquid prioris pœnitentiae retineat, tunc potest illa pars esse complementum vtriusque Sacramenti, sicut eadem aqua duplicis baptismi.

Loquendo denique de eodem Confessario, probabile est, quod asserit Lugo, posse eum mutare pœnitentiam etiam post quodvis longum tempus, modò adhuc saltèm confusè recorderetur peccatorum, etiamsi non fiat nova confessio. Nam sicut ipsa executio pœnitentiae, quantumvis serò facta, est complementum & pars Sacramenti, & cum prioribus moraliter coniungitur, ità & illa mutatio pœnitentiae ab eodem Iudice facta.

1046. Pro Coronide quæres, an Satisfactio Sacramentalis exhibita post absolutionem, causet aliquem gradum Gratiae sanctificantis vltra illam, quam causavit Sacramentum per partes suas essentielles, nempe quando fuit finita forma absolutionis. S. Thomas planè id fieri supponit, nec potest commodè in alium sensum trahi q. 90. a. 2. ad 2. eum sequuntur Cajetanus, Sorus, Suarez, & Turrianus, ac probabilem vocat Dicastillo. Contraria est valde communis. Neutra habet convincens argumentum, & ideo negativa præfertur, quia non debet sine gravi fundamento affirmari talis vis causativa. Fundamentum affirmativæ opinionis est, quia Satisfactio est pars Sacramenti: ergo debet causare gratiam. 2. esse tantùm partem integram, quæ si præsupponat tempore positas partes essentielles, non debet novam gratiam superaddere, cuius instantiam asserunt aliqui in Extrema Vnctione. Sufficit ergo ad partem integram, vt sit apta causare gratiam, quando præcedit vltimam partem essentialem. Et hæc de Pœnitentiæ Sacramento (prætermisissis quæstionibus alijs, in quibus plus valet Legum auctoritas, & numerus asserentium, quàm differentium ratiocinatio) dicta sufficientiant.

Ad Majorem DE I Gloriam.



INDEX

